


BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
42 G
16

HIPPOLYTI A COLLIBVS PRINCEPS.

Collegij Rom. Soc. Jes. Catal. inscriptus

Eiusdem de NOBILITATE *Positiones* LXII.

Editio altera, priore emendatior, auctior.

Bibl. nova


SEORSVM ACCESSIT

PALATINVS, SIVE AVLICVS,

EODEM AVCTORE.

Nunc primum in lucem editus.







1595.

HANOVIÆ
Apud Guilielmum Antonium.

ILLVSTRISSIMO
FORTISSIMOQ. HEROI
CHRISTIANO
PRINCIPI ANHALTINO,
ASCANIÆ COMITI; SERuestæ Bernburgiq; Dynastæ, &c. Domino meo clementiss.

HIPPOLYTVS A COLLIBVS dedico consecroq;.



ERISSIME *Plato, nos finem malorum in* REPVB. *spectare, vel sperare non posse scribit, nisi maxima bonitas & sapientia simul in Rep. coniungantur. Quapropter multi rerum vsu, doctrinaq; insignes viri, vt Reip. Principes eò incitarent, de* REGNO, *de* PRINCIPATV, *de* REGVM *institutione & disciplinâ, de conseruatione & conuersione* RERVMP. *multa doctiß. diligentissimeq; scripserunt. Quæ cum animaduerterem a plerisq; fusius, ne confusius dicam, meo quidem iudicio tractata, quam vt a Principe viro, legi omnia accurate possent; a nõnullis vero breuius quidem; sed sine exemplis, quæ hac in re plurimum possunt, dicta: operæpretium me facturum existimaui, si præcipua capita eorum, quæ de* PRINCIPATVS *prudenter, fortiter, ac feliciter administrandi ratione, deq; præsidiis & ornamentis, quibus* PRINCEPS *munitus esse debet, scripta reperiuntur, breuissime methodiceque, tamquam in tabula*

Lectori, historicâ illustratione, proponerem. Quod a me paucorum dierum spacio factum (quam bene, penes bonum æquumque Lectorem iudicium esto: obtrectatores namq; susq; deq; fero) tibi fortissime PRINCIPUM *inscribere placuit. Indignares T. Celsitudine, inquies: quis; fateor, si me chartaceumve munusculum respicias; tum vel maxime, quod, vt Catulli verbis vtar, sciam*

Tibi hæc fuisse & esse cognitissima.

Si vero rem, qua de agitur, intuearis, comperies ea quæ de perfecto PRINCIPE *traduntur merito tãti* PRINCIPIS *titulo cohonestata fuisse. Quid enim præstantius esse potest quam vnius hominis arte, sapientia & moderatione Remp. vniuersam opibus affluere, virtute firmari, iure deuinciri, beneuolentia coniungi, atq; fieri deniq; florentis atq; beatæ vitæ participem? Vale* HEROS *magnanime; & in hoc libello, tamquã in speculo, ea ornamenta omnia contẽplare, quæ Deus* OPT. MAX. *in te cõtulit; hocquè tibi persuade, quãuis vita dignitate & meritis, tot clientum tuorum minimus infimusq; sim studio me tamen erga te, fide atq; obseruantia nulli concedere. Sospitatorẽ illum vnicũ suppliciter oro, quando te iterum iustissimi huius belli Imperatorem esse voluit, Patriaq; libertatem commisit tuendam;*


Qualiter puppim rapidis procellis,
Flante nauclerus Zephyro gubernat,
Prora ne Syrtes Libycos subintret,
Ore vadoso.

vtis inquã tibi porro benedicere, consiliisq; tuis perpetuo adesse velit. Basileæ, Kalend. Decembr. CIↃ IↃ XCII.

GEOR-

FLAV. VOPISCVS IN *Aureliano.*

QVÆRITVR quidem, quæ res malos Principes faciat. Iam primùm nimia licẽtia, deinde rerum copia; amici præterea improbi, satellites detestandi, eunuchi auarissimi, aulici vel stulti vel detestabiles, & (qđ negari non potest) RERVMPVBLICARVM ignorantia. Sed ego a patre meo audiui, Diocletianum Principem, iam priuatum dixisse, *Nihil esse difficilius quam bene Imperare.* Colligunt se quatuor vel quinque, atque vnum consilium ad decipiendum Imperatorem capiunt: dicunt quid probãdum sit. Imperator qui domi clausus est, vera non nouit; cogitur hoc tantum scire, quod illi loquuntur: facit Iudices, quos fieri non oportet; amouet a REP. quos debebat obtinere. Quid multa? vt Diocletianus ipse dicebat, *Bonus, cautus, optimus venditur* IMPERATOR.



CAP. INDEX CAPITVM. PAG.

HIPPO-



HIPPOLYTI à COLLIBVS

PRINCEPS.

CAPVT I.

Quid sit caussa Status, quot statuum formæ, quæ origo, quæ forma firmior.



Vum CAVSSA non tantū dicatur, propter quam quid fit, sed etiam pro iure, modo, formâ, & ratione rei sæpe sumatur; & STATVS vox absolute posita, ad REMP. passim referatur; vnde Cicero, *Hunc statum* (inquit) *qui nunc est, qualiscumq; est, nullâ aliâ re, nisi concordià retinere possumus.* Cicero de Arusp. Non inepte CAVSSAM STATVS vocant Politici nostri, rationem acquirendi, conseruādi, stabiliendi, propagandique IMPERII. Quod aut vnius est, aut plurium: illud *Monarchiam*, id est, Principatum; hoc, si paucorum, *Aristocratiam*; si omnium, vel maioris partis, *Democratiam*, hoc est, populi statum voca-

Aristot. 8. Polit. c. 10. mus. Ideo Philosophus: *Vel pauci*, inquit, *vel multi communem vtilitatem in gubernatione sequuntur: has esse rectas Rerumpubl. formas necesse est.* Quando autem ad propriam vtilitatem vel vnius, vel paucorum, vel multitudinis gubernatur, trāsgressiones sunt & labes. Thebæorum, Rhodiorum, Massiliensiumque dominatus Aristocraticus erat; Atheniensiū vero, Democraticus. *Strabo lib. 4. & 14.* *Pausanias.* quod Pausanias his verbis testatur: *Nullam nouimus* (inquit) *popularem Rempublicam magnos habuisse progressus, Atheniensibus exceptis; qui & præcipuâ quadam prudentiâ cæteris Græcis præstiterunt, & suas religiosissime omnium leges obseruarunt.* Principatum quod attinet, iusta dicitur ad populi vtilitatem VNIVS gubernatio. *Plato lib. 1. de Rep.* Dixi, *ad populi vtilitatem.* Princeps etenim quatenus Princeps, non quod sibi, sed quod subditis conferat, cogitat; & quæ dicit aut facit, cuncta ad subditorū vtilitatem dicit & facit. *Cicer. de Offic. lib. 1.* quod elegantius Tullius: *Vt tutela* (inquit) *sic procuratio Reipubl. ad vtilitatem eorum qui commissi sunt, non ad eorum quibus commissa est, gerenda est.* Nam vt ait Philosophus, in cun-

in cũctis ſcientiis & actionibus finis bonum eſt; bonum autem ciuile eſt communis vtilitas: &, vt iuſticia, ita Principatus ad alium eſt. *Vt canes ouium cuſtodes excubias agunt, non ſibi timentes, ſed ouibus: Ita Princeps nõ tam ſibi timere debet, quam populo. hoc enim primi homines ſpectarũt, cum ſe vnius poteſtati permitterent, non vt libertatem, vitam, fortunas, vnius facerent prædam; quod iis accidit qui victi armis, conſtricti hoſtibus deduntur; ſed vt eſſet qui ſua prudentia & conſilio multorum ſalutem, pari atq; æquabili iure, rempubl. adminiſtrãdo, in hominum ſocietate tueretur. Pelopidas, Epaminondæ collega, orante vxore ad prœlium progredientem, vt ſe ſeruaret;* Id aliis, *inquit*, eſt ſubiiciendum; Imperatori vero vt ſeruet ciues. Ideo Seneca; *Nullum ornamentum, Principis faſtigio dignius* (inquit) *pulchriusq́, quam illa corona,* OB SERVATOS CIVEIS: *non hoſtilia arma detracta victis, non currus Barbarorum ſanguine cruenti, non parta bello ſpolia.* & quæ ſeq. HancPrincipatus formam, antiquiſſimam eſſe plærique fatentur. nam (vt omittam illud, Principem Dei imaginem, qui totius

Ariſtot. l. 3. Polit.

Plutarch. in Moral.

Plutarchus.

Seneca lib. 1. de benefic. ſub finem.

orbis rex eſt, exprimere) quem olim homines prudentiſſimum & iuſtiſſimũ iudicabant, Reiquepubl. præfuturum cum fructu ſperabant, ad eum imperiũ deferebant, & poſt eum ad filios ſæpe. tale enim eſt iudicium, fore vt liberi, quemadmodum oris lineamenta referent, parentis etiam virtutem imitentur.

Horatius lib. 4. Carm. ode 4.

Fortes creantur fortibus & bonis:
Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum
Virtus. --

Rempubl. itaque primo Reges tenuerunt, tum Tyranni: quibus pulſis, factio optimatum inuaſit: quæ cum ſuperbire inciperet, contemtaque eâ quę inter ciues eſſe ſolet æqualitate & potentiæ proportione, luxu ſe dederet, plebem eô deduxit, vt non antè ſeditionibus in vrbe agitandis conquieuerit, quam & ipſa in partem magiſtratuum totiusque Reipub. venerit. Sed cum & hîc nimia licentia tranquillitatem corrumperet, magiſtratusque contemneretur, & quisque pro libitu, viueret, ad PRINCIPATVS formam rediit: quã optimam eſſe Plato, Ariſtoteles, Xenophon,

Vide Polyb. l. 6.

phon, Plutarchus, Dion, Philoſtratus, aliique ſtatuiſſe videntur. Perſæ quoq;, quum poſt Magorum cædem de magiſtratu conſtituendo inter ſeſe contuliſſent, Monarchiæ primas, Dario Rege declarato, dederunt. Conſtantiſſimam certe formam eſſe hiſtoriæ docēt. Regnarunt Aſſyrii mille & quingentos annos, vsque ad Arbacem: poſt diſtractum vero imperium ab Arbace, trecentos quinquaginta: Ægyptii, antequam Ægyptus in prouinciam redigeretur, ad duo annorum millia: Gothi, mille & trecentos: Franci, mille & fere ducentos: Scoti, mille & ſeptingentos annos: numerantur a Ferguſio ad Iacobum VI. incorrupta annorum memoria cētum quinquaginta & vnus Reges. Apud Germanos manſit Auguſtalis dignitas per octingentos annos: vt de ceteris nihil dicam. Scio Ciceronem temperatam Reipub. formam, quam ſe legibus & inſtitutis informaturum profitetur, optimam iudicaſſe; vt & alii poſt eum: ſed ſi rem penitius intueamur, nullam Rempublicam ex duobus, pluribusve generibus conflari reperiemus. Du-

Beroſus.

Iouius in deſcript. Scot. & Buchananus.

Cic. in lib. de Rep.

Bodinus de Repub. l. 2.

umuiratum igitur, Triumuiratum, & his ſimilia omnia, Ariſtocratiam appellare non veremur. Ad rem: facilius vnius Imperio paretur, facilius ſubditorũ impetus refrænantur, & quô non oportet mentes retrahuntur; quam multorum. Ideo in difficillimis quibusque tẽporibus Dictator Romæ creabatur, qui ſummum Imperii ius habebat, & poteſtatem plane regiam; vt vel ex inſignibus apparet. Huc pertinet illud Philoſophi de ſimpliciter Ente: *Illud optimum, quod maxime vnum eſt.* Eò reſpexit Darîus, qui Alexandro reſpondiſſe fertur, *ſolum Sole vnico, non Solibus geminis moderari poſſe.* De vero Principatu loquor, non de Tyránnide. *Optimus ciuitatis ſtatus ſub rege iuſto,* ait Seneca.

Ariſtoteles. Plutarch.

Lib. 2. De beneficiis.

CAPVT II.

De Principatus acquirendi modis: & an acquiſitio conſeruationi præferri debeat?

PRincipatus acquiritur ſubditorum voluntate liberâ, vel coactâ; liberâ iterum vel tacitâ, vel expreſſâ: iſtud ſuffragio fit, vt in Imperatoris electione. In Polonia quoque Reges eligi ſolent ordinum omnium voluntate: ideo ſuo

arbitrio leges condere (vt alibi fit) nequeunt. Idem in Dania, &c. obtinet. Illud successione fit: vt in Galliâ. quocirca quum mortuo Lothario Galli Carolum Caluum creassent, Adrianus P. R. ad Hinemarum Remensem episcopum scribens, designatum Regem excommunicari iussit, aliumque eligere permisit. Ad quod triplex Galliæ status respondit: *Numquam tale quid a Pontifice Romano ad Galliæ Episcopos missum fuisse: Reges Galliæ nasci, non eligi solere. quapropter,* &c. Idem in Hispania, aliisque locis nõnullis obseruatur. Coactâ subditorum voluntate acquiri Imperium aliquod dicimus, quod vi, armis scilicet, obtinetur. Persæ a Romanis armis subacti, in seruitutem redacti sunt. Eadem ratione Macedonum Reges, Atheniensem populum, vrbesque, sed & Asiam occuparũt. Armis quoq; Carthago Romanis; tota Africa & Europa, & ipsa Roma, caput mundi, pressis tandẽ ceruicib. Gothorũ iugo seruiliter se submisêre. Non multis ante annis Constantinopolis cum reliqua Græcia, manus Turcarum insolentiæ religandas prębuit. Hu-

Ex Frid. I. Imp. diplomate.

Strabo lib. 12.

Machiau. in Pr. cap. 8. ius rei alia infinita apud Hiſtoricos exempla leguntur. Sed & deditione, emptione, permutatione, donatione, matrimonio cum fœmina Principatus hærede, Imperia acquiri, vel æquipollenti, vt ſorte, teſtamento (nam de iis qui ſcelere ad Principatum peruenerunt, loqui, non eſt noſtri inſtituti) ſolent. Sic matrimonio Gallia Belgica familiæ Auſtriacæ obuenit. *Geneſ. 47.* Ægyptii fame coacti, ſe ſuosque agros Regi Pharaoni, in perpetuam ſeruitutem addixere. Poſt Pertinacem certe Romanum Imperium quaſi in foro & mercatu, venale *Dio. Xiphilinus. Herodianus.* propoſitum fuit: idque vendebant ii, qui Imperatorem interfecerunt. Emebēt Sulpitianus & Iulianus Iurisc. Sulpitianus ſingulis militibus ducentos aureos obtulit; Iulianus quinquaginta ducentis adiecit: qua adiectione permoti milites, ipſi Imperium cum applauſu vendiderūt. Veſpaſianus vero omnem *Ioſephus lib. 7. cap. 26. belli Iudaici.* Iudæorum agrum, ſubacta Iudæa, per Liberium Maximum, procuratorem ſuum, vendi iuſſit; ſolis octingentis mi- *C. Sigon. lib. 8. Regni Ital.* litibus illic relictis in caſtello Amaus. Et cum Leo IX. P. R. cum Henrico III.

Imp.

Imp. anno 1053. natalem Vormaciæ celebraret, insignem tunc temporis inter Imperatorem & Pontificem Principatuum nõnullorum permutationem factam scribunt. Sic legimus Alexandrũ VI. Pontificem R. Ferdinando, eiusq; posteris Castellæ Legionisque regibus, Cardinalibus approbantibus, donasse, pleneq; concessisse omnes insulas, contingentesque prouincias repertas, & quæ in posterum a suis reperirẽtur, Occidentem & Meridiem versus, ducta ab Arcto ad Antarcticũ polum línea, &c. *I. Metellus.*

Artibus quoq; nonnulli Rebuspubl. libertatem ademerunt, & Principatum obtinuerunt: Augustus populi Rom. gratiam, inaudita magnificentia, ludis, venationibus, gladiatoriis muneribus, congiariis, conuiuiis & aliis illecebris aucupatus, populo libertatem eripuit: quo facto, populi opes & potentiam circumcidere primùm, postea amputare cœpit: nam octoginta millia ciuiũ, qui frumentum ex publico accipiebant, in colonias remotissimas relegauit: reliquis collegia sodalitiaque dempsit; atque sic ad Principatum peruenit. Sic *Suet. & Tacit.*

Baptista Egnat. Ottomanus rustico natus, singulari calliditate magnam Bithyniæ partem subegit, & filio Orcani reliquit.

Apparet ex his, magnum quid esse Imperia acquirere: sed non minor, immo maior virtus est, ea tueri & conseruare. Ideo Scipio cum censor esset, noluit in carmine, sicuti moris est, poni, DII AVGETE; sed, DII CONSERVATE. *Rempubl. satis*, addens, *habemus* Iustinus lib. 25. *auctam, dummodo cōseruetur.* De Pyrrho hoc fertur, ipsum inuictum in deuincendis regnis fuisse; sed deuictis, acquisitisque celeriter caruisse. Quapropter Augustum quoque mirari solitum scribunt, non induxisse Alexandrum Magnum in animum, qua ratione acquisita conseruaret, sed tantum quo pacto Sueton. Dio. quæsitis alia adiiceret. *Stultum est*, inquit Thucydid. lib. 6. Thucydides, *eos inuadere, quos victor in officio continere non possit.* Eô quoque respexisse videntur Lacedæmones, qui Plut. in Pelopida. Amm. Marc. lib. 25. maiori eos pœna afficiebant, qui clypeum, quam qui gladium amisissent. Epaminundas moriens quæsiuit, an clypeus saluus esset. Ideo Tacitus De morib. Germ. *Corpora*, inquit, *suorum etiam in du-*

in dubiis prœliis referunt: ſcutum reliquiſſe, præcipuum flagitium. At maiori cum applauſu, inquiet quis, vulgo excipiuntur, qui Imperia acquirunt. Ita eſt: quia nēpe ſeſe magis oculis noſtris offerūt, maior ſtrepitus rumorque excitatur, immo nouum quid videtur. Admiramur ſæpe iratum mare, torrentem, &c. ſed non idcirco placidum ſecundumque mare, amœnum flumen minus vtile iucundumque eſt.

CAPVT III.

De Principatus conſeruandi rationibus: & de Iuſtitia Principi in ſe ij, ſuis ſeruanda.

IMperiorum conſeruatio non in hoſtium ſola propulſione, ſed & in ſubditorum perpetua obediéntia cónſiſtit: quam vt Princeps adſequatur, neceſſe eſt vt apud ſuos BENEVOLENTIAM, MAIESTATEMque ſibi conciliet. Recte itaque ille, *Principem ſtatum ſuum, multorum amore & fidelitate communire debere*, non metu ſolo, vt nonnullis placet. Qui enim amat violare, metuit quem amat; qui vero metuit nec amat, is odit, inſidiasque vel ſtruit, vel oblatas accipit. Procop.

Neceſſe eſt multos timeat, quē multi timēt.

Ii demum tuto imperant, aiebat M. Aurelius, *qui non metum ex crudelitate, sed amorem ex bonitate ciuium suorum animis instillant.* Eô respexit Aratus, cum Regem Philippum his verbis alloqueretur: *Multi in Creta magnique montes enati sunt, multi in Bœotia & Phocide, tum alibi mediterranei & maritimi loci bene muniti: quorum tu, cum nullum occupâris, omnes tamen incolæ, vltro Imperata faciunt: quippe saxis & præcipitiis latrones inhærent.* REX FIDELITATE *suorum &* FAVORE; *fortius tutiusve nihil habet. Ista tibi Creticum mare*, &c.

Plutarch. in vita Arati.

Terent in Adel.

Errat longe, mea quidem sententia,
Qui imperium credat grauius esse, aut stabilius,
Vi quod fit, quam illud quod amicitia adiungitur.

Quamuis autem omnes virtutes id efficere valeant, si tamen propius rem cõsideremus, nonnullæ repetiuntur, quæ *Beneuolentiæ* plus, aliæ quæ *Maiestatis*, id est, auctoritatis plus sibi conciliant. Ad primum membrum refero *Iusticiam* & *Beneficentiam*. *Studia hominum*, dicebat ille, *Iustitia & Liberalitate conciliantur.*

Ciceo.

Ad

Ad alterum vero, *Prudentiam & Fortitudinem. Duo sunt*, inquit Sex. Aur. in Traiano, *quæ ab egregiis Principibus exspectantur, Sanctitas domi, in armis Fortitudo, vtrobiq; Prudentia.* De his igitur, faciente Deo, ordine differemus. *Sext. Aurel. in Traiano.*

Reipub. bene constitutæ fines non gladiis, dicebat Agesilaus, *sed iusticia terminantur.* Recte: Reipubl. enim firmamentum, in iuris æquabilitate & in iudiciorum integritate consistit. Iusticiam seruabit Princeps non solum inter subditos, sed & in se, vt sc. sibi dictis legibus subiiciatur. Ideo Sallustius Gallicorum poetarum præstantissimus, eleganter Gallice:

--tandis qu' entre nous, ou le Prince ou le Roy *Sallust.*
Captiue sa grandeur, soubs le ioug de la loy:
Il commande sans peur, & la chose publique
Iouyt heureusement d' un estat pacifique.

Laudat Traianũ Plinius Cæcilius, quod consule sedente, & iuramentum præbente, iurarit, expresseritq; verba quibus caput suum, domum suam, si scien-

ter fefelliſſet, Deorum iræ conſecraret. *Ingens gloria tua Cæſar:* (inquit) *ipſe te legibus ſubieciſti: quas nemo Principi ſcripſit; ſed tu tibi nihil amplius vis licere, quam nobis. Sic ſit vt nos plus tibi velimus. Non eſt Princeps ſupra leges; ſed contra, leges ſupra Principem*, &c. Princeps virtutis ſimulacrum eſſe debet, in edito ſublimatus, vt conſpicue ſua luce luceat omnibus; eoque minus ſibi licere intelligat, quod nullum eius factum, dictum, ac vix cogitatum latêre poteſt; quippe qui ſuarum actionum non vnum, ſed mille Argos habet, hoc eſt, obſeruatores. Recte Claudianus Imper. Honorio:

Ferr. Mont. de republ.

Hic te præterea crebro ſermone monebo,
Vt te totius medio telluris in orbe
Viuere cognoſcas, cunctis tua gentibus eſſe
Facta palam, nec poſſe dari regalibus vmquam
Secretum vitijs.

Plutarch.

Et certum eſt, minima quæque Principum errata notari, & pro magnis haberi; ſicut verrucæ in facie fœdiores, quã in reliquis corporum partibus conſpiciuntur. Notiſſimum eſt illud Græcorũ pro-

prouerbium, *A capite piscem primo computrescere:* quo (licèt obscurius) significatur, Principem virum insigniter turpem, mox dare labem in plures. huic enim non magis latere possibile, quam Soli inter tot collucentes siderum oculos. Scribit Paterculus, *Principem optimum ciues suos faciendo docere; cumque Imperio maximus sit, exemplo maiorem esse debere.* Idcirco Reipubl. anima vocari solet, ad cuius vitam motumque & ipsa viuit & mouetur. Subditi itaque non solum ab hoste externo defendantur, sed domi quoq; insuetis nimiisque extorsionibus ne grauentur. *Boni* enim *pastoris est, tondere pecus, non deglubere.* & scitum est illud Roboami. Inter omnia autem memorabile est illud Antiochi Asiæ Regis, qui omnibus regni sui prouinciis scripsit: *Si quid in litteris, quæ eius nomine scriberentur, esset quod legibus aduersum videretur; crederent ignaro se eiusmodi litteras scriptas fuisse, & propterea eis non parerent.* Antigoni quoq; illud notandum est. nam asserente quodam Regibus omnia honesta & iusta esse: *Per Iouem*, inquit, *sed Barbaris: nobis vero ea de-*

Paterculus lib. 2.

Sueton. in Tiberio.

Liuius.

mum honesta, quæ honesta & iusta, quæ iusta. Clarius Traianus, præfectum prætorio inuestiens; *Accipe hunc gladium: &, si iuste imperaro, pro me vtitor: sin minus, contra me. Errat enim,* ait Seneca, *si quis existimat tutum ibi Regem esse, vbi nihil a rege tutum est.* Sed & subditis priuilegia (si quæ habent) conseruanda sunt. Augustus Imp. Gallum hominē donare Romana ciuitate noluit, quamuis Liuia vxor intercederet; ne aliquid Romanorum priuilegiis detrahere videretur: affirmans se facilius passurum fisco aliquid detrahi, quam ciuitatis Romanæ honorem vulgari. Quod si honores fauoresque distribuendi sint, merita cuiuslibet potius quam cęteros gradus respiciet. Certum namque est, multos Principatꝰ diffidiis inter optimates populumque ortis euersos fuisse. Populus regulariter Imperium detrectare, & ne a potentioribus opprimatur, eniti solet; Nobiliores contra imperitare, populūque deprimere consuerunt. Caute igitur hîc agendū, demendo sc. ex omnium animis arrogantiam, insolentiam, superbiam, diffidentiam, &c. ne voces

lib. 1. De clementia.

Sueton.

Machiauellus.

illæ

illæ humanam ſocietatem turbãtes audiantur; *Nobiles Tyrannidem affectant, & contra: Plebeius ſanguis nec fauere, nec amicus eſſe poteſt nobili ſanguini.* Animis .n. ſemel hoſtili odio imbutis, ita dimicãt, vt etiam publicam ſalutem & propriam libertatem hoſtibus ſuis interdum prodere videantur. Hoc iuſticiæ proprium eſt, vt ſumma cum infimis, media cum vtriſque connectat, conſeruet, concilièt. Æqua igitur lance diſtributiua Iuſticia vtetur, omnibus ex æquo aderit, omnes æque audiet: hoc Principis proprium eſt. *Non deſpicit Dominus*, inquit ſapiens Sirach, *preces pupilli, nec viduam ſi effundat loquelam gemitus: nam lacrymæ viduæ ad maxillam deſcendunt, a maxilla ad cælum, & Dominus exauditor nõ delectabitur.* Et Pſaltes, *Præ gemitu pauperum & miſerorum, nunc exſurgam dicit Dominus.* Recte anus illa Philippo Macedonum Regi, qui ſibi ocium non ſuppetere eam audiendi prætexebat, reſpondit: *Ergo ne Rex ſis.* Aliarum quidem multarum diſciplinarũ ſcientia carere Princeps poteſt, iudicandi ſcientia non poteſt: quæ ipſa regum maxime propria.

Syrach. cap. 35.
Pſal. 12.
Plutarch.
Bodinus lib. 4.
Ariſtot. 5. 11.

Porro quia præmia gratiosissima, pœnæ vero odiosissimæ sunt, optime fecerit, si ipse præmia omnia magistratus, curationes, munera, largitiones, beneficia, restitutiones, priuilegia tribuat; pœnã vero irrogare ministros sinat: vt hac ratione beneuolentiam quidem in se, odium in alios deriuet. Ideo veteres Ægyptii, legem inde a Prometheo vsque repetebant, qua Reges non modo occidere prohiberentur, sed etiam supplicia spectare, vt scribit Plutarchus; ne ex illis spectaculis vllum in spectatoribus crudelitatis vestigium restaret.

CAPVT IIII.

De Iustitia commutatiua, deque Iudicum officio.

IN alios seruari Iusticiã dicimus, quũ ius suum cuique tribuitur, & alter ab altero non læditur: quod tum demum fiet, si vis & fraus omnis a subditis arceatur. Vis remouetur, si lædentes, vt famæ alterius inhiantes, homicidæ, latrones, &c. debita pœna afficiantur. Fraus euitatur, si modos illegitimos dominii acquirendi, contrahendi item & agendi procul habeamus. Princeps igitur seuere

uere in monopolia exercentes, in fœneratores, falſarios, inertes & ocioſos, litium ſtudioſos, & qui huius generis ſunt, animaduertet. Vix credibile eſt, quantum beneuolentiæ, ſed & gloriæ ſibi hac ratione multi olim Principes Græci Romanique conciliarint; ſed & Patrum noſtrorum memoria, Ludouicus XII. vnico illo in vitilitigatores edicto. nam merito exclamat Iul. Cæſar Scaliger: *Froſſard.*

Heu litigiorum rabies, furens Erinnys
Heu iudiciorum fera, peſtilens Charybdis,
Eheu remoras luminis atque veritatis
Ab iuſtitiæ tormina. & quæ ſequuntur.

Quot, bone Deus, litium hodie dilationes, quot reorum ſupterfugia, quot pragmaticorum fraudes, & veteratoriç impoſturæ reperiuntur? quot iudicum faſtidia & faſtus, quot indignitates deuorare neceſſe eſt? Sed reprimo me. *Plutarch. in Solone & Lycurg.* De fœnore hoc certum eſt, nullã peſtẽ in ciuitate lethaliorem eſſe: tamquam *Ariſtot. in lib. De legib.* cancer etenim oſſa & neruos Principis Reique pub. exedit. Interrogatus M. *Cato lib. 1. de re ruſt. cap. 1.* Cato quid eſſet fœnerari; *Quid eſt*, reſpondit, *hominem occidere*? Ideo Roma-

ni fœneratorem grauius quam furem puniebant. Verum, quia Princeps, qui & aliis intentus esse debet, solus Iustitię subditis administrandæ non sufficit, per Ministros delegatos id faciat necesse est. Hos Iurisperitos, viros bonos, seueros, incorruptos, inadulabiles, contra improbos nocentesq; immisericordes, atque inexorabiles esse decet, quibus per se extra Iuris præcepta nihil liceat.

A. Gellius l. 14. cap. 4.

Dabunt hi operam, vt summos cum infimis pari iure retineant; neque alteri partium faueant, alteri iniquiores sint. Hæc causa fuit dubio procul, quæ Areopagitas olim mouit, caussas non nisi noctu in tenebris cognoscere, ne Iudices dicentium, sed eorum quę dicebantur, rationem haberent.


Lamp. in eius vita.

Laudabile Alexandri Seueri institutum est, vt quem ad honores, prouinciarũ vel Iustitię gubernacula prouehere cuperet, eius nomẽ progrãmate publico peruulgaret, vt de anteacta vita inquireretur, pœna tamen capitali in calumniatores decreta.

Formula iurisiurãdi senatorum Romanorum hæc erat: *Iuro per Iouem Olympium & consiliarium, & per Vestam consul-*

tri-

tricem, & per Iouem maritalem, & Iunonẽ "
maritalem, & Mineruam prodigam, & Vi- "
ctoriam, & Venerem, & Amicitiam, & "
Concordiam, & Ius atque fas, & bonam For- "
tunam, aliosque uniuersos deos & deas, me "
sententiam velle dicere secundum leges & cō- "
sulta a ciuitate adprobata, & secundum de- "
creta Romanorum, & leges, quibus nostra "
Respub. administratur, in respectu vtilitatis "
Patriæ, pro viribus meis, non aliter quam is "
fecit, qui Senator fuit laudatissimus Patriæ, "
vel Romanæ vel Græcæ ciuitatis; neque gra- "
tiæ, neque odio, neque muneribus patiar ser- "
uire iudicium consultumve meum; neq; pri- "
uato addîcam sententiam meam, neque me "
vlli parti aut homini adiungam, sed tantum "
communi vtilitati, aucturus pro viribus "
Remp. Ita vt Dii & boni viri volunt, mihi "
quidem sancte iurato bene sit, & Dii atque "
dæmones faueant, itemque meis omnibus cũ "
amicis, tũ uniuerso generi & familiæ; in per- "
iurio vero ne deprehendar vmquam. Ad-
do & Ratisbonensis curiæ inscriptionẽ: *Phil. Camer. Medit. histor. cap. 33.*
Quisquis Senator curiam officii caussâ ingre-
deris, ante hoc ostium priuatos affectus omnes "
abiicito; iram, vim, odium, amicitiam, adu- "
lationem: Reipubl. personam & curam sub- "



„ *iicito. Nam vt aliis æquus aut iniquus fueris, ita quoque Dei iudicium exſpectabis.*

De muneribus hoc habemus:

Scaliger. *Væ iudiciis, muneribus quæ infatuantur:*
Hos dira manet tartareis pœna barathris
Iuſta vt patiantur, male qui iniuſta patrarunt.

Studebunt quoque lites non protrahere: quod quanto ciuium malo, Principumque odio id hodie fiat, nemo non videt. Ad ſummam, Iudex numquam neque cuiusquam gratiæ, neque potẽtiæ cedet, nec miſericordiâ, nec inuidiâ, neque odio commouebitur; ſed vere ſemper & incorrupte ex legibus iudicabit. Talem deſcribit elegantiſſime Horatius:

Iuſtum & tenacem propoſiti virum,
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus inſtantis tyranni
Mente quatit ſolida; neque Auſter
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna Iouis manus:
Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ.

Notanda illa Ioſaphati ad iudices verba; *Videte quid faciatis. non enim hominis iudicium*

dicium exercetis, sed Dei: & quodcumq; iudicaueritis, in vos redundabit.

Ad beneficentiam transeo, si prius dixero, in dubiis Principem in iure reddendo, ad lenitatem inclinare debere. *Propria est clemētia regum. Qui vult amari*, inquit ille, *languida regnet manu. Nihil est*, inquiebat Antoninus Pius, *quod Imperatorem Romanum magis commendet gentibus, quam clementia. hæc Cæsarem Deum fecit: hæc Augustum consecrauit.* & quæ sequūtur. Scribit Fl. Vopisc. multos Aurelianum neque inter bonos, neque inter malos Principes ponere, idcirco quod ei clementia, Imperatorum dos prima, defuerit. *Vulcat. Gallic.*

Si vela tendas nimium, nauis mergitur: *Euripid.*
Sed si relaxes rursus, vehitur tutius.
Odit Deus nimis vehementes impetus,
Odêre ciues: gratior est moderatio.

CAPVT V.

De liberalitate & beneficentia Principis.

MARMOR Romæ repertum fuisse scribunt in Traiani foro, quod Romanos hos characteres continebat: *Potentissima dos in Principe, liberalitas atq;* *Marlor. Topogr. lib. 5. cap. 22.*

clementia. Nam *Principis est* (inquit Polybius) *benefaciendo vniuersis cum liberalitate & clementia sponte subiectos gubernare, in mutua semper beneuolentia cum ciuibus viuentis.* Recte Cicero; *Liberalitate qui vtuntur, beneuolentiam sibi conciliant: & quod altissimum est, ad quiete viuendũ charitatem.* Afflictis in Principis benignitate perfugium est, vt naufragis in portu. Titus (cognomine paterno Amor ac deliciæ generis humani) recordatus aliquando super cœnam, quod nihil cuiquam toto die præstitisset, laudatam hanc vocem edidit: *Amici, diem perdidi.* Dupliciter autem liberalitatem exercebit, egenis subueniendo, & virtute præditos fouendo promouendoque. Quamuis autem beneficentiæ semper magna vis, magis tamen in malis publicis elucet; si videlicet subditi ob annonæ caritatem, pestem, terræmotum, incendia, inundationes, hostiũ incursiones, inopiâ laborent. Sic nimirũ Augustus militem donis, populũ annonâ pellexit. Immo, quod ad captãdam popularem auram plurimum profuit Reipubl. debita, quæ bellis ciuili

bus

Polyb.

lib. 2. De off.

Amm. Marcel. lib. 3.

Suetonius.

Sueton.

bus contracta fuerant, ac debitorum tabulas lacerari & cremari iussit. Traianus quinq; millia puerorum de suo assidue aluit. Imperator Nerua, omnes pecunias quas iniuste Domitianus rapuerat, spoliatis restituit; Romanis pauperibus decies quinquagies centena millia erogauit; agros sua pecunia coemptos, prepositis Senatoribus quibusdam, inter egenos diuidi iussit. De Probo exstant hi Claudiani versus: Claudianus.

Hic non diuitias nigrantibus abdidit antris,
Nec tenebris damnauit opes, sed largior imbre
Sueuerat innumeras hominũ ditare cateruas.
Quippe velut denso currentia munera nimbo,
Cernere semper erat, populis vndare penates:
Assiduos intrare inopes, remeare beatos.
Praeceps illa manus fluuios superabat Iberos,
Aurea dona vomens, &c.--

Sed & hîc obseruandum illud, *Ne quid nimis.* Nulla est liberalitas, vbi neque dantis facultas expenditur; nec accipientis dignitas æstimatur. Stulti & amẽtis est, dare plus, quam possis. Largiri autem indignis, est dignis iniuriam facere, & scelera confirmare. Cum Fl. libertinus nullo suo merito, Ædilis Curulis a plebe creatus esset, qui honos ad

Aristoteles. Cic. 1. Offic. Osor. lib. 5.

Patricios ſpectabat; Patricii ſtatim aureos anulos proiecerūt. Antoninus Imp. theatricos & ſaltatores, mimos ſcenicosque artifices, ad imperii dignitates ac procurationes prouinciarū prouexit, magno cum detrimento Reip. & opprobrio. Ante illum Tiberius Imperator, in ipſa publicorum morum corruptione, cum Pomponio Flacco & L. Piſone noctem continuumq; biduum epulando potandoq; conſumpſit: quorum alteri Syriam prouinciam, alteri præfecturam vrbis confeſtim detulit; Codicillis quoque iucundiſſimos, & omniū horarum amicos profeſſus. Nihil ne de noſtrorum Principum nonnullis dicā? nihil. Sufficiat hoc Ennii, *Beneficia male locata, male facta ſunt.* Liberalis itaque Princeps ſuas expendet facultates, pretium rei donandæ, & perſonam cui donatur. Quod ſi per vices non vno cumulo liberalitatem exerceat, ſpes ſubditorum alet beneuolentiam.

Herodianus. Suetonius.

Scaliger.

Ita des, vti ne non dare ſis coactus olim.
Eſt prodigus omnis cupiens; ergo & auarus.
Sed peius, vtriq; huic vitio amentia iuncta eſt:
Dando nihil, huic gloria; at huic, nihil habēdo.

Quan-

Quantum porro beneuolentiæ gloriæque ſibi conciliarint, qui bonarum litterarum ſtudia & litteratos fouerunt, promouerunt, nouas Academias propagarunt, ſacra templa erexerunt, noua Muſarum hoſpitia extruxerunt; teſtes ſunt I. Cæſar, Carolus Magnus, Conſtantinus, Iuſtinianus, ſed & nuper Frãciſcus I. Coſmus, qui Mediceus: vt de aliis nihil dicam. Neminem latet, quãtam laudem Cn. ille Pompeius re & cognomento Magnus, apud veteres tulerit, quod intraturus Poſſidonii domum, viri ſapientiæ profeſſione clari, faſces lictorios ianuæ ſubmiſerit, is (addit Plinius) cui ſe Oriens Occidensque ſubmiſerat. Alphonſum Arragonum regem, quum audiret quemdam, litteras Principem non decere contẽdentem, exclamaſſe ferunt, *Hæc vox bouis eſt, non hominis.*

CAPVT VI.

Quid ſit prudentia, quotuplex: in ſpeciè autem de diuina hic agitur.

DIXIMVS, Prudentiam & Fortitudinem Principi Maieſtatem, hoc eſt, auctoritatem conciliare. Omnis au-

Aristoteles. ctoritas in opinione prudentiæ fortitu-
Bod. lib. 4. dinisque constituta est: & plus sæpe maiestas valet, quam vel leges, edicta, magistratuum iussa, arma quin etiam ipsa. nam quod nulla interdum vi, copiis, lapidibus, ferro coerceri poterat, vnius nutu & maiestate regitur:

Ac veluti magno in populo cum sæpe coorta
Seditio est, sæuitq; animis ignobile vulgus;
Iamq; faces & saxa volant, furor arma ministrat:
Tum pietate graue ac meritis si forte virũ quẽ
Conspexere, silent, arrectisq; auribus adstant:
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Inde fit, vt perlibenter nos ad eius nutum applicemus, quem acute perspicere existimamus, quid nobis ipsis, qui in consilio sumus, & voluntati paremus, vtile futurum sit. Vt oculi est, videre; aurium, audire; narium, olfacere: ita Principis est, populi rebus consulere. At non potest alia re consulere, quã sapientia. ea si careat Princeps, non magis consulet reipubl. quam oculus videbit excæcatus. *Prudentia est recta ratio, lumen quoddam animo præferens, quod sequẽdum fugiendumve sit, sine vllo errore præscribens.* Et, vt breuius dicam, *Prudentia,*
dux

dux est & gubernatrix actionum honestarũ ac virtutum omnium: breuissime autem, *Prudentia est ars vitæ.* quam Poetę ipsam Mineruam de Iouis vertice natam, non sine ratione fabulantur. Ostendunt enim a mente, quæ in nobis diuina est, eam manare; per quam omnia circumspicimus. Id demonstrare quum vellẽt antiqui pictores, ita similitudinem huius Deæ pingebant, vt omnia aspicere videretur, & quemcumque se intuentem spectare. Quemadmodum itaq; ægroti sapienti medico, vectores sapiẽti nauclero, milites prudenti Imperatori: sic subditi prudenti Principi obediunt, & quicquid ille præscripserit, diligenter exsequuntur. Duplex autẽ, pro ratione rerum tranquillarum turbatarumve, Prudentia est, togata nempe & bellica. Togata rursus in Theologicam & Prophanam diuiditur. Theologica in Principe est, quæ pietatem religionemque veram, eamque, quantum fieri potest, solam colit, fouet, conseruat. Religio est sanctissimus Dei cultus, ei⁹ maiestati debitus, animũ simul & pio quodam timore deuinciens, & inuicto ro-

Seneca Epist. lib. 11.

Plato. bore confirmans. *Sicut pecora*, inquit Socrates apud Platonem (quem omnino Mosis libros vidisse autumo) *nō a pecoribus, sed alio meliore se genere, vt pastore: sic homines ab homine, sine duce Deo, male gubernantur. vbi namque non Deus, sed mortalis aliquis dominatur, nulla vmquam malorum laborumq́; futura est quies. Paxillus*, De abusionū gradibus. inquit D. Augustinus, *nisi bene fixus firmiter alicui fortiori adhæreat, omne quod in eo pendet, cito dilabitur, & ipse solutus a rigore suæ firmitatis, cum oneribus ad terram dilabitur. Sic & Princeps, nisi suo conditori pertinaciter adhæserit, & ipse, & omnis qui ei consentit, cito deperit.* Hanc ergo Prudētiam aio Rerumpubl. firmissimum fundamentum esse, vtpote ex qua subditorum fides in Principem, admiratio, imitatio & obedientia erga Magistratū, pietas in parentes, caritas in singulos, iusticia in omnes, omnia denique bona oriuntur. Vnde Saluator noster primū quærendum esse regnum Dei dixit, vt omnia nobis adiicerentur: nam pura religione neglecta, nihil in Republ. præclari solidique constitui potest. Ideo Paralip. 1. 22. Dauid filium suum moriens his verbis allo-

alloquitur: *Tu autem Salomon fili mi, ſcito Deum patris tui, & ei ſerui corde perfecto, & animo voluntario. Omnia enim corda ſcrutatur Dominus, & vniuerſas mentium cogitationes intelligit. Si quæſieris eũ, inuenies: ſi autem dereliqueris eum, proiiciet te in æternum.* Ad ſummam, Religionis ſtudium, veriſſimam omnium virtutum diſciplinam continet. Vt enim quæ nocte videntur, nõ explorate cognoſcuntur: multa namque in tenebris oculos fallunt, multæ rerum inanes ſpecies occurrunt, quæ ſimul atque lux ſolis appropinquat, euaneſcunt: Ita homines diuinæ lucis expertes, in vita multis rerum imaginibus illuſi, in capitales fraudes impelluntur: & quo magis ingenio valent, eo maiorem ſibi peſtem & exitium machinantur. Nõ igitur iactet ſeſe potẽs, ait Omnipotens, in ſua potentia, neq; iactet ſeſe diues in ſuis diuitiis; ſed in hoc iactet ſeſe qui ſe iactat, quod intelligat & cognoſcat me: quod ego ſum Iehoua, qui facio miſericordiam, iudicium, & iuſticiam in terra. Notabile illud eſt, quod de Theodoſio Imp. legimus; *Eum aulam ſuam veluti ſcholam, in*

Oſor. lib. 11.

Theodore. lib. 5. cap. 36.

Niceph. lib. 14. cap. 3. *qua ad pietatem se suosque exercuit, instituisse, temporaque distribuisse lectionum, psalmorum, ieiuniorum, immo & vigiliarum.* Hic magno studio bibliothecam sacrorum librorum, eorumque interpretum

2. Paralip. 17. instruxit. De Iosaphato certe, aliisque Regib⁹ testatur Sacra pagina, eos, quod pii ac religiosi essent, propterea a Domino pace diuturnâ, diuitiis amplissimis, numerosissimis exercitibus dotatos, regno diu præfuisse. Sed & Ethnici

Xenophon. id viderunt. Cambyses quidem Cyro filio ad Astiagem ituro, hæc mandata dat: *Ista a me discas, fili, quæ habentur maxima: Nihil a te, vel publicis vel priuatis in rebus agendum, nisi sacris peractis, Deorumque voluntate perspecta: humanum enim genus erroribus plenum. At Dii quum semper fuerint, quum omnia nôrint, præsentia, præterita, & futura, inuocati adsunt consultationibus hominum, quibus cum propitii ob pietatem fuerint, ostendunt quid agere, quibusve abstinere oporteat, &c.*

CA-

CAPVT VII.

De prudentiâ prophanâ, quid sit, & quibus artibus acquiratur.

PROPHANA prudentia dicitur recta ratio tranquille Imperium in cæteris gubernandi. Hanc Princeps, si, vt debet, consequi velit, vt omnes artes quibus sapientia continetur, summo studio percipiat, necesse est. Sit igitur Ethicorum, Politicorum, sed & Physicorum Mathematicorumq; non ignarus. Experientiam certe, Prudẽtiæ matrem, non sine ratione dicunt: Vnde Afranius;

Vsus me genuit, mater peperit memoria:
Sophiam vocant me Græci, vos sapientiã.

Et alter, -- *artem experientia fecit.*

Quæ cum & ipsa filia temporis sit, tam breui vitæ curriculo magna esse nequit. quod itaq; vitæ breuitas negat, ex aliis, viuis scilicet mortuisve, id est, historicis, discemus. Princeps igitur multarũ rerum peritiâ præditos viros, eosq; bonos alet. *Nullum maius indicium bonæ mentis*, inquit Commineus, *Princeps ostendere potest, quam vt adiungat sibi, & familiariter vtatur, viros virtute & famâ ce-* Phil. Com. 34.

lebres. Nam omnes statim iudicabunt eum talem esse, quales ii qui apud illum. (Ideo Capitolinus: *Princeps*, inquit, *bonus sit, si bonis amicis vtatur*) cũ iis cottidie versabitur, plurimàque sciscitabitur. Exempli caussâ, quodnam sit Principatus fundamentum, quibus modis amitti soleat: Ex quibus caussis seditiones oriantur, quomodo sedentur. Consultiusne sit, vrbem in solo fertili vel sterili ædificare. (Norimberga enim, exempli gratiâ, inter florentissimas Germaniæ vrbes, solũ sterile habet: vt olim Athenæ apud Græcos, & hodie apud Gallos Limogea.) Quibus ventis mœniana ædificia sint opponenda. Item, de mutationibus maximorum Regnorũ, quot & quales fuerint, qua occasione, quamdiu, quæ mutationis caussa: Quis Principum optime, vel pessime se gesserit: Quis bello paceve clarus. & alia quæ huius farinæ sunt. Ideo Epicurus olim Reges hortari solitus est, vt conuiuiis non scurras, non cantores, non citharœdos, non huiusmodi hominum genus adhiberent; sed viros peritos, qui cum ipsi non modo rebus gerendis inter-

terfuiſſent, verum etiam ſæpe præfuiſſent, de bello, de caſtris, de acie, de tota deniq; militari diſciplina apte diſſererent: aut populorum regendorum, Imperiique propagandi, & vectigaliū conſeruandorum rationem demonſtrarēt. quod his ſermonibus audiēdis, animus paullatim ad ea effingitur, quæ audit. Lectionē certe hiſtoricam, ex qua hominum ritus, mores, Imperatorum caſus & occaſus, euentus ancipites, temeritatis exitus diros, præclare dicta, facta, inſtituta, bella, inducias, &c. ſine vllo expendio per aliena pericula hauriet, & vitam tamquam in ſpeculo ornare, & ad alienam virtutem componere poterit; Principi non vtilem tantum, ſed & ſumme neceſſariam arbitror. Nihil, vt paucis multa, nouum, nihil inauditum, hiſtorias callenti Principi contingere poteſt. Nam, vt Philoſophus ait, *Quæ futura ſunt, plerumque paria ſimiliaque iis ſunt, quæ facta ſunt.* Idem aliis verbis Halicarnaſſeus: *Non aliunde*, inquit, *melius conſilia petuntur, quæ in futurum proſint, quam ex præteritarum rerum exemplis.* Hæc nimirum ratio illa eſt, ſic,

Ariſtot. lib. 2. Rhetor.

ut de Scipione, Lucullo, aliisque nonnullis dicitur, vt quis Imperator sit, antequam miles, veteranus quam tyrunculus, vir propemodum quam adolescens. Quemadmodum enim senex iuuene prudentior habetur, ea de caussa, quoniã per plures annos quæ fierẽt, vidit: ita etiam fatendum est, prudentissimum illum fore, qui non ætatis suæ modo, sed & præteritarum quoque gesta cognouerit. Ista ad eloquentiam quoque ipsi viam aperient; cuius quanta vis sit, incredibile dictu: vt ex Cæsare, Salustio, Liuio, Xenophonte, Curtio, & aliis videre est. Quemadmodum .n. homo improbus, si disertus sit, Rẽpubl. dicendo facile conturbat, & ad quoduis flagitiũ impellit: sic cõtra Principi bono ad subditorum voluntates alliciendas, & & animos impellendos nihil vtilius, nihil ad Rempublicam constituendam efficacius eloquentiâ. Omnis olim regia disciplina in bene dicendi & recte agendi studio consistebat. Ideo Phœnix apud Homerum ait, *sibi Achillem a patre traditum, vt illum verborum oratorem, & rerum actorem efficeret*. Istorum omniũ,
ne

ne forte quis absterreatur,non exactam illam,sed qualem qualem cognitionem in Principe requiro, talem scilicet,quæ ad ingenii cultum, & ad regiæ disciplinæ facultatem sufficiat. qua in re prudente doctoque doctore opus est, qui Principi suo nō veteres illas altercationes de materia, de ideis, de inani, de motu, &c. inculcet; sed ea tantùm,quæ ad veram sapiētiam ducunt, proponat. nam quum Principis imago plurimum valeat ad conformandos, & in vtramq; partē mutandos suorum mores,summe cauendum, ne Principem nisi optime informatum, populo spectandum exhibeamus. At præ aliis occupationibus, quî poterit (inquiet quis) omnia hæc complecti Princeps? Immo poterit. Quis occupatior Alexandro? qui vigesimo ætatis anno orbem disciplinarum summo studio confecit; & postea inter arma non Homerum solum, sed & alios libros Aristotelis lectitare solebat. I. Cæsar, quem armorum laus, & victoriarum gloria, cælo æquârunt, etiam in medio bellorum furore non abhorruit a studio litterarum. Idem de

Curtius.

Sueton.

Augusto dicitur, qui inter comedendũ quoque & radendum, lectioni operam dare solebat; ita vt Mutinensi bello, in tanta rerum mole, & legisse, & scripsisse, & declamasse cottidie feratur. Idem de aliis multis dici potest. Vnum Syllã admirari Cęsar solebat Principem reip. sine litteris exstitisse. Nec immerito. Vnius enim hominis inscitia, innumerabiles quandoq; populi simul cũ republ. præcipitantur. Scribit Aurelius Victor, plerosque Cæsarum adeo litteris & eloquentiâ cultos fuisse, vt ni cunctis vitiis nimii fuissent, tantæ virtutes modica flagitia texissent. Quis Carolo quoque Magno? quis Alphonso Neap. quis Frãcisco primo occupatior? quis hisce litterarum amantior, studiosior? Et, vt cõcludam, pulchrum est magnos Principes vt Imperii fastigio, ita rerum cognitione cæteris pręstare.

Aurelius. Victor,

CAPVT VIII.

Principis prudentiæ capita nonnulla.

Bod. lib. 5. cap. 1.

AD cætera prudentiæ capita vt deueniam, principis est subditorum naturam moresque recte intelligere, vt sciat, quæ quibus populis leges congruant,

ant, & quis cuique regioni ſtatus conueniat. quæ notitia ex ſitu ſedeque regionis, ex ætate, fortuna, educatione colligitur. De poſteriorib⁹ hiſce vt nihil dicam, ad ſitum quod attinet, multum intereſt ſcire, an Regio Aquilonaris ſit, Auſtralis, &c. Item an in conuallibus ſit, in locis paluſtribus; an mare montesve reſpiciat.

Hic ſegetes, illic veniunt felicius vuæ:
Arborei fœtus alibi, atque iniuſſa vireſcunt
Gramina. Nonne vides croceos vt Tmolus odores,
India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi?
At Chalybes nudi ferrum.

Eadem ratione vt pro regionis ratione, vegetiora corpora infirmiorave ſunt; ſic animorum motus celeriores moderatioresve reperiuntur. Ventoſa loca ferociores homines ac mobiliores reddunt; quieta, humaniores, & conſtantiores. Paluſtrium & conuallium incolas molles ac deſides facit agri vbertas: Qui in extremis Imperii cuiusque finibus poſiti ſunt, ceteris qui infimos receſſus occupant, ferociores & validiores ſunt. Id in Germanis, Gallis, Hiſpanis, aliisque videmus. *Athenis tenue cælum*, in- *Bodin. ibid.*

Cicero. quit Cicero, *est, ex quo acutiores putantur, Attici. itaque pingues Thebani & valentes,* & alibi: *Carthaginenses,* inquit, *naturâ loci fraudulenti, Ligures montani, duri atque agrestes, Campani bonitate agrorum superbi sunt. Gentes* (inquit Liuius) *aliæ iracundæ, aliæ audaces, quædam timidæ; in vinū, in Venerem proniores aliæ. Atheniensium populum fama est celerem, & supra vires audacem ad cōnandum, Lacedæmoniorum; cunctatorem,* &c. Educatio tamen ex ferocioribus crudelioribusque humaniores, & contra reddit. quod Lycurgus ciuibus suis, eleganti duorum catulorū iisdem parētibus procreatorum exemplo ostendit. Sed & hoc scire conducit, an Principatus nouus vetusve sit, vi, hereditate, an suffragio partus, vel simplici fortunæ afflatu. In hereditariis enim Principatibus, quæ alicui familiæ parêre didicerunt, Principi plus iuris & minus difficultatis erit, si Princeps maiorum suorum vestigiis insistat. Hîc subditi liberam viuendi rationem non nōrunt. Secus in cæteris, vbi omnia summo cum periculo mutanda, vel externa adminicula adhibenda. Nouus certe Prin-

Lib. 45.

Plutarchus.

Idem.

Mach. lib. 1. Discursu. cap. 24.

te Principatus, qui repente nascitur, vt cætera quę repentinum ortum habent, nec adhuc radices egerunt, fere aduerso quoque tempore extinguetur; nisi Princeps summo ingenio, dexteritate, prudentiâ, aliaq; potentiâ pręditus sit. Alexander Magnus; deuictâ Thracia, veritus ne discessu suo Thraces se in libertatem vindicarent, eorum præcipuos omnes secum, velut honoris caussa traxit. Ignobilibus autem relictis, plebeios prefecit, consecutus, vt Principes, ob beneficia accepta, nihil nouare vellent; plebeii vero, spoliati Principibus, non possent. His rationibus partas Prouincias conseruauit. Hoc exemplum licèt ad prudentiam bellicam pertinere videatur, tamen quia de nouis Principatibus conseruandis hîc dictum est, huic loco inserere placuit. *Plutarchus.*

Prudentiæ capita & hæc erunt, vt tẽpori cedat. quod & Cicero innuit his verbis: *Tempori cedere, id est, necessitati inseruire, semper sapientis est habitum: cuius necessitatis præpotentem vim nemo nescit.* Itẽ, vt malis tempestiue occurrat, paruaque principia non negligat. quod e- *Cicero.*

nim de febri hectica ſcribunt Medici, eam ab initio facilem curatu, ſed cognitu difficilem eſſe; progreſſu vero temporis, ſi non curetur, facilem cognitu, perdifficilem curatu eſſe: idem in Republ. obtinet, ſi quæ in principio oriuntur incommoda, perſpiciantur, facilis curatio eſt; quę niſi tempeſtiue adhibeatur, omnibus quidem perſpecta erunt, verum tunc ſero nimis medicina parabitur. tempori inquam cedet Princeps, neque ſe in caſum dabit. *Tempori ſe accõmodare*, inquit Æſchines, *& publice & priuatim omnes neceſſe habent.* Prudentis eſt, non temere ſe ſuosve periculis obiicere. Leoſthenes Athenas Lamiacũ præcipites in bellum egit. Indignante Phocione, quæſiuit per ludibriũ, quidnam ſuo annorum adeo multorum Imperio Reipub. profuiſſet? *Non parum vero*, inquit, *quod ciues in propriis ſepulchris ſunt humati.* Tale quid de Lucullo ſcribit idem auctor. Et quia ſubitæ quoq; mutationes periculoſæ ſunt, non facile quicquam ex antiquo mouebit. quod ſi mouere neceſſe habeat, paullatim id fiat. Id nos natura docet: inter æſtatem enim

Plutarch. in Phoc.

enim hiememque autumnus interponitur. Naturam igitur imitemur, quæ omnia paullatim peragit, semina perquam exigua in arbores excelsas crescere iubet; sed tam occulte, vt nemo sentiat. Rerum quinetiam extrema inter se discrepantia, ordinibus inter se aptis ita coniungit, vt nulla vis, magnave mutatio adhibeantur.

Nec res hũc teneræ poßẽt perferre laborẽ,
Si non tanta quies inter frigusq; calorem
Iret, & exciperet cæli indulgentia terras.

Id Locrenses respexerũt; apud quos qui aliquid mutandum populo persuadere volebat, laqueum collo insertum gestabat; quo ei gula frangeretur, nisi legem Reipubl. vtilem persuasisset. Ideo Plato legis mutationes perniciosas esse scripsit. Leges sunt fundamenta Reipubl. si quis ex illis fundamentis aliquid mutare volet, verendum ne ei idẽ contingat, quod substructiones & fundamenta altissimarum ædium mutanti: is nisi cautissime agat, certa totius ædificii ruina subsequetur. In dubio itaque antiqua nouis, quietem turbis præponet, certum scilicet incerto: quod se-

Plato lib. 5. de Leg.
Bod. de Repubł. lib. 2. cap. 3.

mel ſtatuendum, diu deliberabit; ita tamen, vt occaſiones non negligat, & quæ negotia magni momenti ſunt, ſecreta eſſe velit. Legationes quinetiam Principi vtiliſſimas puto, ad ſtatum eius, ad quem fiunt, contemplandum & ſpeculandum. Id inter alios Ludouicus XI. ſumme obſeruauit.

Philip. Comin.

CAPVT IX.

De Principis Conſiliariis, eorumque officio.

CÆTERVM quia impoſſibile eſt vt Princeps ſua ſcientia omnia complectatur; & magna negocia magnis adiutoribus egent, fidos rerum hominúque peritos Conſiliarios habebit. hac ratione multis oculis, quæ illi ſunt animaduertenda proſpiciet, & multis auribus omnia quę audienda ſunt cognoſcet, vt quam minimum erret. Ideo Reges Gallię, Hiſpaniæ & alii Principes ſuos habent Senatores ſecretiores, qui Principi coniunctiſſimi Imperii arcana tractant, de bello, de pace, deque toto Reipubl. ſtatu. Ideo in Gallia Status Conſiliarii vocantur. Veneti ad id ſuum decemuirale collegium habẽt. Capita

Bod. in ſua Methodo.

Contaren. de magiſtr. Venet lib. 3.

pita decemuirûm vulgo appellant. Hos pios esse oportet, fide & virtute præstãtes, constantes, tacere loquique suo tẽpore scientes, a quibus omnis discordia & auaritia absit, quique honestum vtili præferant. Sed & libertatem in dicendo requiro. Omnibus se abundare rebus dicere solebat Ludouicus XI, vna excepta; hæc quæ nam foret interrogatus, Veritatem esse respõdit. Gaudẽt plerique Principum, fœmina quadam vultu formosissima, ad talos vsque longis vestibus induta: eamque, licèt vno sæpe, sæpius vtroque pede claudicet, tanti faciunt, vt ægerrime ferant si ventus, siue Auster is sit, siue Septentrio, vestes quibus puellæ vitia teguntur, attollat. Caueat sibi ab hac fæmina Princeps noster; & ventos salutiferos, consiliarios optimos vitia nudantes & corrigẽtes, admittat. Tales Iethro quoq; rebus bene gerendis præficere genero iubet. Cum enim generum reprehenderet, quod ipse solus omnium cõtrouersias cognoscere vellet, eum ita alloquitur: *Delige autem ex omni populo viros sapientes, qui timent Deum, & qui oderint aua-*

Franciscus Patricius de historia.

Exod. 18.

ritiam, & qui iudicent populum omni tempore, &c.

Æl. Lamp. in Seue. Alexander Seuerus hoc in more habebat, nihil ſine doctiſſimorum prudẽtiſſimorumque virorum conſilio ſancire; hiſce ſpacium ad diſquirendum cogitandumque dabat, ne incogitati dicere cogerentur de rebus ingentibus. fuit præterea illi conſuetudo, vt ſi de iure aut de negotiis tractaret, ſolos doctos ac diſertos adhiberet: ſi de re militari, milites veteres ſenes, locorum peritos ac bellorum & caſtrorum, & omnes litteratos, & maxime eos qui hiſtoriam norant, requirens quid in talibus cauſſis, quales in diſceptatione verſabantur, veteres Imperatores vel Romani vel exterarum gentium, feciſſent. *I. Capitol.* M. Antoninus Philoſophus ſemper cũ optimatibus, non ſolum bellicas res, ſed etiam ciuiles, priusquam faceret aliquid, cõferebat. Hanc illius ſententiam præcipuam fuiſſe ſcribunt: *Æquius eſt, vt ego tot & talium amicorum conſilium ſequar, quam vt tot & tales amici meam vnius voluntatem ſequantur. Tolerabilior* (inquit Lampridius in Alex.) *reip. ſtatus eſt, vbi Prin-*

Princeps malus & consiliarii boni sunt, quã vbi bonus Princeps & mali consiliarii: siquidem vnus malus, a pluribus corrigi potest: quod ex aduerso difficulter fit. Est profectò magnum ornamẽtum, immo laboris alleuamentum & subsidium tutum, si Princeps bonorum Consiliariorum fide, virtute, cura, studio, vigilantia sepiatur; sed & magnum oblectamentum ob talium hominum consuetudinem. Nihil de iis dicam, qui cum vel Periandro Corinthio, vel Thebano Epaminũda, vel Syracusanis Hierone & Dionysio, apud Romanos cum vtroque Africano coniunctissime vixerunt. Sciens prætereo felicissima illa & eruditissima secula, Aug. Cæsaris Traiani, &c. qui omnes cum sine doctorum hominum consuetudine vitalem sibi esse vitã non putarent, pro caducis vitæ ornamentis, quibus amicorum lectissimas coronas cohonestarunt, per eorum ipsi consilia scriptaque sunt nominis immortalitatem consequuti. Caueat sibi præterea Princeps,

Tacitus.
Isocr. ad Nicoclem.

Ne nimis etiam vel delatoribus aurem
Prabeat, iniusteve sinat succumbere quemquã

Iudicio, ne pro compertis atq; probatis
Accipiat quæ vox inimica vel æmula finxit,
Turpe quidem miseros vita spoliare bonisq;:
Turpius at recti specie, falsisque latenter
Testibus appositis, & iudice non satis æquo.

Lucianus. Monendus quoq; hic est, quia vix quisquam adeo generosus, ac adamantino muro animum accinctus, qui calumniosis assentationibus non arrigat aures, vt ab adulatoribus sibi caueat: qui pro varietate affectionum, quibus Principẽ commotum animaduertunt, varie cõmutantur, vt appareat illorum animos non proprio sensu atque natura cõmoueri, sed omnes rationes ex Principis animo suspensas habere.

Prima, hominis facies, & pulcro pectore virgo
Pubetenus, postrema immani corpore pistrix,
Delphinum caudas vtero commissa luporum,

Adulatio enim vitiorum altrix est; quã *Suet. in Tiberio.* adeo auersatus est Tiberius, vt neminem Senatorum, aut officii aut negotii caussa ad lecticam suam admiserit: Cõsularẽ vero satisfacientẽ sibi, ac per genua orare conantẽ ita suffegerit, vt caderet supinus; atque si quid in sermone, vel in continua oratione blandius de se diceretur, non dubitaret interpellare ac re-

ac reprehendere, &commutare sermonem cõtinuo. Nihil peius illis excogitari potest, qui suum iudicium deserũt, vt Principis sui libidinem sequantur; qui nihil loqui audent, quamuis Reipubl. salus in discrimen vocetur, quod auribus heri iniucundum sit. Hi sese insinuant, non Principis caussa, sed vt se statumque suum valido præsidio muniant, opesque suas augeant, conseruent. *Duo sunt*, inquiebat sapientissimus ille Rex, *maxima Regiæ potestatis ornamenta, nullum assentatoribus locum dare, & bonis atq; innocentibus honorem impertire.* Recte Antisthenes, *præstare in coruos quam in assentatores cadere. Illi quippe mortuos,* (inquiebat) *hi viuos deuorant.* Æquè fugiendi sunt aulici vani. Osor, lib. 2.

Nam citius flãmas mortales ore tenebunt
Quam secreta tegant; quicquid demittis in aula,
Effluit, & subitis rumorib9 oppida pulsat.
Nõ satis est vulgasse fidẽ, simulatius exit
Proditionis opus, famãq; onerare laborat.
Sic cõmissa ferẽs auidus reserare minister,
Fodit humum, Regisque latentes prodidit aures.

Excepit nã terra ſonos, calamiq; loquẽtes
Inuenere fidẽ, qualem conceperat index.

Poſtremo Princeps, eius quod & Philoſophus docet, meminerit: *Non debere Principem vni tantum Conſiliario omnia ſua committere.* Raro hoc felicem exitũ nanciſci ſolet. qui enim vnum amat, videtur cæteros odiſſe. *Audax eſt Princeps nimium, qui vt amet vnum* (inquit ille) *ſeſe reliquis omnib. inuiſum facit.* Sed nec plures conſiliarii ſecretiores quinque, vel ſeptem numero eſſe deberent, quibus ſumma quęque deliberanda decernendaque committerẽtur, ne Imperii arcana facile in vulgus manare poſſint.

Camer. Medi-at. c. 90. Maſſ. lib. 2. Annal. Franc.

CAPVT X.

De fraudibus Principi fugiendis, deque ſeruanda fide.

HACTENVS de prudentia togata: quo in loco Principi diligenter aduertendum dico, ne ſub prudentiæ ſpecie, dolis, aſtu, & fraudibus vtatur. Illi omnes quam libẽtiſſime nos tradimus, quem ſummum potius vitæ diſcrimen aditurum putamus, quam vt datam fidem violet, vel mendacio aliave fraude nos circũueniat. Eam igitur de ſe opinionem,

onem, in animis hominũ excitare Princeps debet, vt nudis verbis ſanctius pręſtare promiſſa credatur, quam quæ alii iureiurando pollicentur. Abſint illæ nonnullorum voces: Ea demum promiſſa ſeruanda, quæ commodis noſtris inſeruiunt; vel, vt alii tectius loquuntur: Nihil turpe videri poſſe, quod cum Reipubl. ſalute coniunctum. Ita Principi ſeruãdam fidem, vt quum id communis vtilitas flagitauerit, eam violare non dubitet. Malis moribus implendam ciuitatem, vt quando libuerit, vindictam ſumere poſſit. Alendas factiones inter ſubditos, & boni publici amantes de medio tollendos. Flocci faciendum Principi ſi crudelis habeatur, modo hac via ſubditos dicto audientes efficiat. Oderint, dum metuant. Illud prorſus deteſtandum eſt, quod aiunt, Principi non tam colendam pietatem, fidem, integritatemque eſſe, quam dãdam operam, vt ſancte colere videatur, ſimulando diſſimulandoq;. quod proculdubio ex Dionyſii Tyranni ſcholà hauſtum eſt, vt pueros talis, ſic viros iuramentis fallendos eſſe. *Cæteris mortali-*

Machiauellus cap. 18, & paſſim.

bus (inquit Tacitus) *in eo ſtant conſilia, quid ſibi conducere putent. Principum diuerſa ſors eſt, quibus præcipua ad famam dirigenda.* Nec quicquam vtile putandum, quod non honeſtum. vt omittam, eum qui fidem violat, omnibus ita ſuſpectum fieri, vt etiam horrori ſit. Imperii fundamentum eſt honeſta fama, ſubditorum beneuolentia, & Principis auctoritas. at cuius quæſo famæ, cuius auctoritatis erit Princeps, ſi fœdifragus, ſi diffidens, ſi diſſimulans, ſi periurus: vel ſi ſit, quãdiu, quæſo, duratura? Nullum ſimulatum diuturnum. Certum eſt, nullam rem Rempubl. magis continere, quam fidem: qua ſublata, iuſticia cũ humana ſocietate tollitur. *Qui fidem violat*, inquit Tullius, *oppugnat omnium commune præſidium.*

Cicero. Bod. lib. 5. cap. 6. Sil. Ital.

Fœdera mortales ne ſæuo rumpite ferro:
Sed caſtam ſeruate fidem. fulgentib. oſtro
Hæc potior regnis. --

Hoc addo, maioris impietatis periurũ eſſe, quam atheum. Hic enim quem non nouit DEVM, non magnificat; ille quem nouit omnipotentem, deſpicit & contemnit. Adeo autẽ omnes fraudes

des a prudentia remouendas censeo, vt (quicquid recentiorũ nonnulli dicant) nec leues admittã: cum prudentia, vt de lege diuina nihil dicam, a virtute separari non possit. Sine fide omnes Regũ, ac Principum virtutes obscuriores fiunt: ab ea enim, vt sidera & stellæ a sole, lumen accipiunt. Perplacet mihi illud: *Talis esto, qualis videri vis.* Vt nihil magis regium fidei stabilitate & constantia: ita nihil est perfidia magis a regiis moribus & institutis alienum. *Nec enim quicquam* (ait Seneca) *minus conuenit, quam subdola ista calliditas, animis conantibus magna.* Et qui perfidos aliosque fraudulentos Principes diri exitus maneãt; exẽpla docent. & verissimum est illud Flori: *Fraudulentissimos fraude ipsa plærumque in insidias deduci.* Ecce Alexander VI. P. R. & filius Cæsar: de quorũ altero scribunt, eum numquam dicere solitum quæ facturus erat, alterum nũquam efficere quæ dixisset; vtrumque autem id statuisse, omnibus fidem dari oportere, sed nemini seruari: qui norant, vt paucis multa,

lib. 6. Ep. 50.

Florus.

B. d. capite. Volaterr. lib. 23. sub fin. Anthropologia.

Et fraudare homines & fallere numina diuûm.

Nonne ille eodem veneno, quod familiaribus & collegis, Adriano scil. Corneti Cardinali, in cuius vinea cœnaturi erant, prope Vaticanum, aliisque parauerat, per erroremque hauserat, sublatus est: alter eadem fraude, qua hostes consueuerat, a Consaluo circumuẽtus, misere interiit? Obseruandum hîc est, promissa turpia non esse seruanda. Turpia dicũntur naturâ, facto. Naturâ, vt si quis iurauerit se nolle parẽtibus obedire, Magistratibus patriam committeare. Facto, vt si quis iurauerit occidere aliquem. Ratio est, quia promissa turpiter pro non promissis habentur.

Guicciard. lib. 6.

CAPVT XI.

De bellica prudentia: quid sit bellum, quotuplex, & quodnam iustum vocetur.

NON minus necessaria Principi recta ratio est suscipiendi gerendiq; belli, quam bellicam prudentiam vocauimus. Illa enim sine hac, vix subsistere & defendi potest. vt nihil de gloria dicam, quam ingentem sibi summi etiam Reges armorum exercitatione peperêre. Et reuera magnum quid est, voluptates contemnere, labores immensos aspe-

Aristot. lib. Polit. 1. c. 3. Idem lib. 7. cap. 14. Bode. Vrbanus.

aſpernari, mortem parui facere, Reipubl. cōſeruandæ ſtudio. Bellum ſuſcipitur, vel defenſionis vel offenſionis cauſſa. hoc licitum vix eſt, niſi forte ob violatam exiſtimationem, honores, vectigalia. Bellum eſt duorum exercituū per fecialem aliumve modum rite indicta cōcertatio. Ritus ſolemnis indicēdi olim apud Romanos hic erat: *Haſtam ferratam aut ſanguineam præuſtam fecialis ad hoſtium fines ferebat, & non minus tribus puberibus præſentibus dicebat: Quod populi priſcorum Latinorum, hominesque priſci Latini aduerſus pop. Rom. Quirit. fecerunt, deliquerūt; Quod pop. Roman. Quirit. bellum cum priſcis Latinis iuſſit eſſe, Senatusque pop. Romani Quiritium cenſuit, conſenſit, conſciuit, vt bellum cum priſcis Latinis fieret: ob eam rem ego populusq. Rom. populis priſcorum Latinorum hominibusque priſcis Latinis bello indico facioque. Id vbi dixiſſet, haſtam in fines eorum immittebat.* Hodie licèt iſti ritus in vſu non ſint, denunciatio tamen requiritur; vt latrocinii vox euitetur. Cæterum bellū ſi iuſta piaque de cauſſa ſuſcipiatur, iuſtum & pium dicitur: veluti ſi inſtituatur ad

Liu. lib. 1.

Dionyſ. Halic. lib. 2.

conſeruãdam veram Religionem, Reipubl. vtilitatem, vel ad propulſandam hoſtium rebelliumve vim & iniurias. *Nullum bellum* (inquit Cicero in libro de Republ.) *in bene conſtituta Republ. ſuſcipitur niſi pro fide, vel ſubditorum ſalute.* Ex his ſatis apparet, quodnam iniuſtum bellum dicatur. Bellum quoque aliud internum, aliud externum. hoc aduerſus hoſtes exterosque; illud dicitur, quod populus inter ſe gerit, vel contra Principem. In quolibet bello ſuſcipiendo, primo omnium de belli cauſſa cum ſuis deliberabit Princeps, ne iniuſtum & minime neceſſarium bellum concitet; ex quo quæ mala oriantur, notum nimis eſt. Bello ſæpe diſciplina turbatur, Religio violatur, vires franguntur, opes conſumuntur, innocẽtia vexatur, improbitas excitatur, omniaque rapinis, cædibus, ſtupris perturbantur. Sed & hoc perpendendum, Martem dubiũ, & ancipites prœliorum euẽtus eſſe. Iniuſtis profecto bellis Princeps non ſolum homines a ſe alienat, ſed etiam grauem diuini numinis offenſionẽ incurrit. quod ſæpiſſime exitus docent. In

Oſor. lib. 2.

cite-

citeriore Hiſpania M. Lepidus Proconſul Vaccæos innoxios & ſupplices inuito Senatu pertinaciter expugnare tentauit; ſed mox accepta clade grauiſſima, improbæ pertinaciæ pœnas luit. Sex millia enim Romanorum cæſa fuerunt, reliqui exuti caſtris & armis euasêre. Huc pertinet quod Aurelius Victor de Auguſto ſcribit, cum adeo bella exſecratum, & niſi iuſtis de cauſſis numquã genti cuiquam bellum intuliſſe. Iactantis enim ingenii & leuiſſimi eſſe dicebat, ardore triumphandi, & ob lauream coronam, id eſt, folia infructuoſa, in diſcrimen per incertos euentus certaminum, ſecuritatem ciuium præcipitare. Neque bono Imperatori quicquam minus quam temeritatem congruere; ſatis feliciter fieri, quicquid commode geritur: armaque, niſi maioris emolumenti cauſſa, nequaquam mouenda eſſe, ne compendio tenui, iactura graui, petita victoria ſimilis ſit hamo aureo piſcantibus; cuius abrupti amiſſiq; detrimentũ, nullo capturę loco pẽſari poteſt. *Omnia prius experiri quam armis ſapientem decet*, inquit Comicus. ideo Va-

Liuius.

Tranquill.
Aurel. Victor.

létiniano Theodosi⁹ (vt Suidas refert) dicere solebat, *Imperatoriam aciem non armis, sed iustis caussis stare*. Hac ratione bello suscepto, causa illa iusta inculcãda est omnib. vt nõ solũ alios ad societatẽ belli adducat, sed etiã vt animũ suis addat. *Spes addita, suscitat iras*. Q. Fabi⁹, qui egregie sciebat, & Romanos eius esse libertatis, quę cõtumelia exasperaretur, & a Pœnis nihil iustum moderatũve exspectabat, misit legatos Carthaginẽ de cõditionib⁹ pacis. Quas cũ iniquitatis & insolẽtię plenas attulissent, exercitus Romanorũ ad pugnandũ cõcitatus est. Tale quid Cyrus, Solon, Spartani, aliique fecerunt.

Orosius.

Front. lib. 1. cap. 11.

Plutarch. in Solone & in Lycurgo.

CAPVT XII. *De prudentia bellica ante bellum.*

BELLICA prudentia cernitur ante bellũ, in bello, post bellũ. Ante bellũ, in belli apparatu. Romæ vbi de bello Coss. retulerãt, decernere in eo genere solebat Senatus, quãtis copiis, quo militũ numero, quibus, quotve legionib⁹, & perquos duces bellũ geri & rẽ bellicã administrari placeret. Delectus itẽ haberi, nouasque legiones cõscribi. Ideo Princeps solertẽm nauis gubernatorẽ imitabitur, qui priusquã portu egressus in altũ soluat, omnib. rebus instruit nauẽ, atq; quo-

Liuius lib. 24. 26. & 44.

Onosand. de ent. Imp.

quoad ei⁹fieri poteſt, armat & ornat, mari deinde ac vẽtis ſeſe cõmittit. Primo igitur ſi bellũ ſuſcipiẽdũ, de reb. neceſſariis ad bellũ gerẽdũ cogitabit Princeps. interque, nõ minimũ locũ obtinet pecunia; quippe quę, quicquid alii dicãt, pręcipuorũ belli neruorũ nõ poſtrem⁹ eſt. Potẽtiã duab. reb. cõparari, cõſeruari aut augeri dicebat I. Cęſar, *pecuniis* ſc. & *militib.* eaq; ſe mutuo cõſeq: Exercitũ cõmeatu retineri, rurſum cõmeatũ armis cõparari. Tuẽdę pfecto rei militaris, latrociniorũq; coercẽdorũ vnica ratio eſt, ſi milites ſua certa ſtipẽdia habeãt. Non facile miles in officio poteſt cõtineri ab eo, q neceſſaria nõ ſubminiſtrat. Quare inqt Treb. Pollio in Gallieno: *Cõſiliũ Principũ fuit, ut milites quo ſolẽt placari genere ſedarẽtur.* Promiſſis itaq; p Martianũ aureis vicenis, & acceptis, &c. Philippũ Macedonẽ, qui largitionib. & donis totã pene Gręciã ſub Imperiũ redegit, dicere ſolitũ ferũt, *nullã præſidiis aliisq; propugnaculis adeo munitã arcẽ eſſe, quæ nõ facile expugnetur, ſi iumẽtũ aureis numis onuſtũ eo penetrárit.* Idẽ Philip. Hiſpanię rex hodie obſeruat, q pecuniarũ vi plus quã alii multorũ armatorũ millib. efficit. Cũ Adherbal

Flor. lib. 3. cap. 13. de legib. Gracchanicis.

Sallustius. Florus lib. 3. in pr. Romam de Iugurtha questum profugisset, scribunt Iugurtham eô missa pecunia facile Senatum in suam sententiam traxisse: missos deinde a Senatu legatos, qui regnum inter illum Adherbalemque diuiderent, similiter aggressum, pecunia corrupisse. Necessariæ sunt magnis Principibus largitiones, ad hostium consilia, copias, opes euertendas.

Tam firmum nihil est, tam clausum aut denique sanctum,
Quod non expugnet vis auri.--

Sed vel opinio, Principem aliquem opulentum esse, plurimum valet. Alphonsum Ferrariensem dicere solitum ferunt, *Principis inane nomen, & id contemptui & iniuriæ expositum, nisi eius ærario prægrandem signatæ pecuniæ vim, ante periculum congestam contineri seruarique omnis generis homines existiment.* In id igitur Princeps eniti debet, vt etiam non exspectato belli tempore (felix illa ciuitas,

Iouius.

Tempore quæ pacis bella futura timet)

fiscum bene instructum habeat; ne, dũ pecunia quæritur, & hinc inde colligitur,

tur, belli occasiones negligantur, & hostium celeritas nocere possit. Scribit Suetonius, Augustum, vt perpetuo ac sine difficultate sumptus ad tuẽdos milites prosequendosque suppeteret, ærarium militare cum vectigalibus nouis, propriosque huic ærario præfectos instituisse. Romanum porro ærarium (vt hoc obiter moneam) tributis constabat & vectigalibus. *Neque quies gentium* (inquit Tacitus) *sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi queunt. Tributum*, inquit Varro, *erat pecunia populo imperata, quæ tributim a singulis pro portione census exigebatur.* Festus scribit, tria fuisse tributorum genera: vnum in capita, ante Seruium regẽ scilicet; alterum, quod ex censu conferebatur; tertium, temerarium, quod scil. extra ordinẽ imperabatur. Vectigalia, vt ex Cicerone liquet, trium erãt generum: ex agricolatione, mercibus exportatis vel importatis; vnde *Exagogica* dicebantur, & *Eisagogica*: denique ex agris pascuis. Hodie fisci siue ærarii conficiendi septem a nostris genera traduntur: ex agris publicis, ex hostium

Sueton. cap. 49.

Tacitus lib. 5.

Varro.

Festus.

Dionys. Halic.

Cic. pro lege Manil.

Cælius R. lib. 10. cap. 2.

Bod. lib. 6. cap. 2.

ſpoliis,ex amicorum largitionib⁹,ex ſociorum vectigalibus quæ aut euehũtur, vel inuehũtur, & ex ſubditorum tributis. Hæc omnia cum illa moderatione faciet Princeps, de qua ſupra capitibus 3. & 5. diximus: ne parãdæ pecuniæ ſtudio malis artibus ſe applicet, & fraudibus opes alienas in rem ſuam auertere conetur. Auaritia facile animos Principum ab æquitate ad iniuriam traducit. Hoc vidẽs *Traianus, fiſcum lienẽ vocabat, quod eo creſcente, artus reliqui contabeſcant.* Non minus neceſſaria ſunt ad bellicum apparatum, omnis generis arma, galeæ, thoraces, clypei, haſtæ, tela. His .n. in omnibus velitationibus, expeditionib⁹, obſidionib⁹, & prœliis ſumme opus eſt. Sed & nouis illis tormẽtis ac machinis, fulminalibus præcipue; quorum vis & impetus adeo terribilis & horridus, vt ei nulla fere humana ratione reſiſti poſſit, non turribus, non aggeribus, non denique munitiſſimis vrbibus, & ampliſſimis mœnibus; quorum vehementiſſimo impetu omnia ſolo æquantur. De quibus extat illud ænigma Iacobi Torelli:

Dom. Cyll. to. 1.

Vul-

Vulcanus genuit, peperit natura: Minerua
Edocuit: Nutrix ars fuit atq; dies.
Vis mea de nihilo est: tria dant mihi corpora pastum.
Sunt gnati: strages, ira, ruina, fragor.
Dic hospes quid sim, nũ terræ, an bellua ponti,
An neutrũ? aut quo sim facta velorta modo?

Ad hæc omnia tẽpore pacis armamẽtaria destinari solẽt, quæ armorũ, telorũ, pulueris tormentarii, igniũ missiliũ, machinarũ bellicarũ tormẽtorũq; muraliũ ac vniuersæ rei bellicæ supellectilẽ cõtinẽt: quale Venetorũ, aliorũq; hodie est. *Contar. lib. 4. de Repub. Venetorum.*

De commeatu & annona pariter ab initio sibi prospiciet Princeps. fame nãque laborans exercitus, inobediẽs esse, & seditionem sæpissime mouere solet. *Lampr.* Milites sic disposuit Alexander Seuerus, vt in mansionibus acciperent annonas, neq; secum portarent cibaria, &c. Tanti autẽ momenti hęc quæ dixi sunt, *Plutarch.* vt Pompeius cum incommode aliquãdo hybernaret, inopia redactũ exercitũ videns, ad Senatũ scriberet, ac stipendia, vestes & frumenta posceret; alioqui futurum, vt omisso periculosissimo bello, in Italiam exercitum traiiceret.

Ad extremum notandum hîc eſt, in celeritate apparatus plurimum ſitũ eſſe. Demetrius miſſo ad Bœotos feciali, bellum eis denunciabat. Fecialis quidẽ Bœotarchis epiſtolam belli nunciá reddidit; poſtridie vero Demetrius in Cheronæa caſtra locauit. Perterruit Bœotos bellum ſimul denunciatum & præſens. Vt alia multa omittam.

Polyan. lib. 4.

CAPVT XIII.

De bellica prudentia in bello: & primo de militibus, tam maioribus quam minoribus.

PRVDENTIA bellica in bello ipſo, verſatur circa milites & conſilia militaria. Milites alii maiores dicuntur, qui ſcilicet toti exercitui, aut parti eius præſunt: alii minores, qui parent. Toti exercitui præerit, ſi fieri poteſt, ipſe Princeps. *Vrget præſentia Turni.* Alexander Magnus non ſolum bellis ſuis interfuit, ſed ſæpe pedes ante ſuorum agmina incedebat, quò milites ac duces exemplo ſuo ærumnas & labores leuius ferre diſcerent. Idem de Cæſare ſcribitur, Mithridate Rege Ponti, Adriano, Seuero, aliiſque, qui ſæpe hieme per altiſſimos montes vel niuibus oppletos du-

Curtius lib. 7. Arianus lib. 6.

Suet. Dio. Spart. Herod. lib. 2.

ctabant exercitum, aperto capite incedentes. Mirum dictu, quam ista ratione milites ad alacritatem, laborum patientiam & obedientiam accendantur. Id hodie, ne longius abeamus, in rege Galliæ Nauarræque HENRICO IV. Principe bellicosissimo, omnique regali laude præstantissimo, neque cõmuni tantum maiorum suorum cognomine, sed sensu etiam & voluntate sua CHRISTIANISSIMO, clarissime videmus. de quo illud dici potest:

Eia milites, quod hũc ducẽ facere videritis,
Hoc quoq; ipsi pergite facere.

Certissimum est, Principis præsentiam, exercitus fugam sæpenumero repressisse, victoriæque caussam dedisse.

Quod si Princeps ipse exercitui preesse nõ possit, per delegatum belli ducẽ id aget, qui rei bellicæ peritiâ, animi vigore, prouidentiâ, auctoritate, continentiaque præstet. Extat hæc Cõstantii ad Iulianum patruelem oratio: *Adesto laborum periculorumque particeps, & tutelam ministerii suscipe Galliarum, omni beneficentiâ partes leuaturus adflictas: & si hostibus congredi sit necesse, fixo gradu consi-* *Ammian. Marc. lib. 15.*

ste inter signiferos ipsos, audendi in tempore consideratus hortator, pugnantes accendens praeeundo cautissime, turbatosq; subsidiis fulciens, modeste increpans desides, verissimus testis adfuturus industriis & ignauis. Proin vrgente rei magnitudine, perge vir fortis ducturus viros fortes. Aderimus nobis vicissim amoris robustâ constantiâ: militabimus simul, vnà orbem pacatum (DEVS *modo velit quod oramus) pari moderatione pietateque recturi. Mecum vbique videberis praesens: & ego tibi quodcumque acturo non deero. Ad summa, mihi propera sociis omnium votis, velut assignatam tibi ab ipsa Republ. stationem curâ peruigili defensurus*, &c. Tullio de magni Pompeii laudibus differenti, quatuor Imperatori necessaria videtur: *scientia rei militaris, virtus, auctoritas, & felicitas*. Plurimum in duce situm est. Cum Romani a Numantinis aliquoties caesi essent, tandem P. Scipio eos in loco adort[9] fudit fugauitque. Ibi senioribus victos increpantibus, quod terga dedissent iis quos tam saepe fugientes egissent, respondisse ferunt Numantinum quemdam, *Easdem etiam nunc esse oues, sed pastorem alium.*

M. Cicero.

Plutarch. in Apoph.

Ideo

Ideo Chabrias dicere solebat, *Exercitũ ceruorum terribiliorem esse duce leone, quam leonum, duce ceruo.*

Cæterum vt pergamus, parti exercitus præerunt Magister equitum, Præfectus castrorum, Pręfectus legionis, Præfectus annonę, fabrorum, Tribuni militum, Centuriones, Decuriones, & qui huius sunt generis alii.

Ad minores milites quod attinet, alii pedites sunt, alii equites. Pedites olim alii erant armigeri, grauis scilicet armaturæ; alii peltati, alii velites: illi, Macedonico more rotundos clypeos & longas lanceas; isti, peltam, scutum breue & lunatum, & lanceam breuiorem gestabant. Velites leuioris armaturæ pedites erant, qui neque thoraces, neque scuta, neque lanceas habebant, sed eminus sagitta, saxo, funda, iaculo pugnabant; vt hodie sclopetarii. Equites olim, vt & hodie, alii cataphracti, qui & se & equos armatura tegebant; alii leuis armaturæ, qui vel cominus lancea, vel eminus sagittis & iaculis pugnabãt, qui & sagittarii vocabantur.

Volater. lib. de off. princ. cap. de ordinibus.

CAPVT XIV.

De militum delectu.

MILES officii sui præcepta scire & adimplere debet. quia vero id difficile, delectu & disciplina militari opus est. Non quilibet labores, frigora, famem, sitim, reliquasque belli ærumnas ferre, & vigiles noctes ducere potest; non cuilibet fidendum: hos amouebit delectus, vt & pusillamines, aliosque eius farinæ. *Quis est homo formidolosus,* inquit Sacra pagina, *& corde pauido? vadat & reuertatur domum suam, ne pauere faciat corda fratrum suorum.* & ibidem: *Si quis nouam domum ædificauit; vel vineam conseuit, neq; prophanauit; vxorem desponsauit, neque duxit; vel molli animo est, domum reuertatur.* Iphicrates cum in hostes militum agmen produceret, quosdam trepidos, timidos, pallidosque sequi conspiciens, progressus aliquantulum, quũ mox esset ineundum prœlium, clamare Præconem iussit: *Si quis aliquid reliquit, reuertatur, & recte instructus redeat.* Hoc audito, timidiores lętati, continuo reuerti cœperunt. At Iphicrates nullâ morâ factâ: *Nũc,* inquit, *viri sine mãcipiis: nos cũ hostibus pedẽ conferemus, vt soli fruct⁹ forti*

Deuteronom. 20.

Polyænus lib. 3.

fortitudinis & virtutis capiamus. Hac re multo confidentiores facti milites, sine timidis pugnarunt, victoriamque obtinuerunt. Romani olim milites ex corporis habitudine dignoscebantur, si apti militiæ, si lato pectore, si ceruice erecta, oculis vigilantibus, humeris musculosis, valentibus digitis, longioribus brachiis, cruribus exilioribus, suris & pedibus non superflua carne distentis, sed neruorum duritie collectis, vt sic illorum forti & fideli opera vti Respubl. cum fructu posset. Nam nimis pinguē, deformem aut mancum, desidem aut vecordem, tamquam inutiles repudiabant. Cato Censorius pinguem militem, velut Reipubl. incommodum, iure incessiuit: cuius inter guttur & inguē, cuncta sub ventris dominio forent. Idē nolle militem se dicebat, qui inter eundum manus, in pugnando moueret pedes, qui sterteret altius quam in prœlio fremeret. Idem de Lacedæmoniis scribit Ælianus. Hæc igitur in delectu Princeps noster obseruabit. Sed & hoc, qua regione præstet milites eligere. Galli strenui, pugnæque auidi sunt, &

Vegetius.

Ælianus lib. 14. variar. histor.

Domin. Cyllen. lib. 2. cap. 1.

equitatu plurimum valēt. Hiſpanorum corpora magis ad inediam & laborem facta ſunt. Addo hoc, melius eſſe milites ex agris, quam ex vrbibus eligere. duriores enim ſunt, robuſtiores, & laborum patientiores, deliciarum ignari, paruis contenti; quemlibet aerem ſiue diurnum, ſiue nocturnum ferre aſſueti: vt & foſſam ducere, onus ferre, & quæ huiuſmodi ſunt. Loquor de minoribus militibus: nã maiores ex vrbe eligi poſſunt: quippe qui ingenio magis & animo vigeant, ſintque gloriæ & honoris magis cupidi; ac proinde, cum opus eſt, omnem laborem & diſcrimen ſubeant. Quæri hîc de ætate poteſt. Alexander profecto ille Magnus, orbem aggreſſurus, non iuuenes robuſtos legit, ſed veteranos, pleroſque etiam emeritæ militiæ, qui cum patre Philippo, patruiſque militauerant; vt non tam milites, quam magiſtros militiæ electos omnino putares. Nemo enim ordines, niſi ſexagenarius, duxit. Ariſtoteles vult, vt iuuenes in optima Republica decimo ſeptimo anno ætatis primum bellicis exercitiis aſſueſcere apud Pædotribam incipi-

Alexan. ab Alex. lib. 1. cap. 20.

Auent. lib. 1. Ann. Boior.

Politic. lib. 8.

cipiant. Apud Perſas iuuenes a vigeſimo ad quinquageſimum annũ militare cogebantur. Qui hodie de hac re ſcribunt, aiunt haud fere quemquam minorem ſeptem & decem annis, aut ſex & quadraginta maiorem, militiæ adſcribendũ eſſe. Vt igitur concludã, caueat ſibi Princeps, milites ſine vllo diſcrimine, ex omni hominum fæce conſcribere, numeri tantum implendi cauſa. Conſideret cuius quisq; ordinis ſit, quam artem exercuerit, quomodo extra belli tempus ſe geſſerit, & quæ huius generis ſunt. Harum rerum contemptum, multarum calamitatum cauſſam fuiſſe palam eſt. Hinc ſæpiſſime factum legimus, vt ad ſolum hoſtium aduentantium clamorem, caſtra deſerta fuerint, pugnæ infeliciter commiſſæ, oppidaque & vrbes occupatæ. Epimanondas Thebanorum dux, quatuor tantum millibus ſtipatus, ex quibus quadringẽti equites erant Lacedæmoniorum, exercitum viginti quatuor millium peditum, equitum vero mille ſexcentorum, collata acie vicit. Ipſe poſtea cum arreptis quindecim millibus Lacedæ-

Front. lib. 4.
Xenoph. lib. 7. hiſtor.
Iuſt. 6.

centuriones verecundi, milites amabiles erant. Si quis de via in alicuius possessionem deflexisset, pro qualitate loci, aut fustibus subiiciebatur, aut virgis, aut condemnationi; aut, si hæc omnia transiret dignitas hominis, grauissimis cõtumeliis afficiebatur, quum diceret, *Visne hoc in agro tuo fieri, quod alteri facis?* Ad disciplinam porro recte instituendam, opus est primum exercitio. Vnde & Exercitus vox manauit. plus etenim vsus, quam vires prosunt: nec annorum numerus, sed continua exercitatio artem militarẽ docet. Ideo Auidius Cassius exercitium esse voluit septimi diei, omnium militum, ita vt sagittas mitterent, & armis luderent. Dicebat .n. miserũ esse, quũ exercerentur athletæ, venatores & gladiatores, non exerceri milites, quibus minor esset futurus labor, si consuetus esset. Maximinus senior, priusquam ad Imperium conscẽderet, sub Alexandro militans, quintum semper diem in armis ducebat, militarique more quotidie currendo atq; luctando militem exercebat. Ipse quoque, quamquam iam grandis natu, cã-

Varro de ling. Lat. 4. & Prisc. lib. 6.

Vulcatius Gallicanus.

Lamprid. in Seuero.

pestrium exercitationum labores cum aliis militib. subibat. In exercitu nihil peius ocio excogitari potest, cum soleat fere ac solum fons atq; origo seditionũ omnium esse: quod de Carthaginensibus in Siccam traductis militibus testatur Polyb. lib 1. Vt igitur milites olim perpetuo ad cursum, ad saltum, ad nandi vsum, ad iacienda missilia, ad conscẽdendos equos cum armati essent, ad cęsim punctimq; feriendum, ad iaculandum, ad onus portandum, ad instruendam aciem, & similia exercebantur. vnde fiebat, vt scutum, galeam, gladium in onere milites non plus numerarent, quam (vt Ciceronis verbis vtar) humeros, lacertos, manus. arma enim membra milites esse ducunt. Antigonus rex, milites nonnullos intuitus thoracatos & galeatos pilâ ludentes, gestiuit, acciuitque eorum præfectos vt eos laudaret: quos vt potare intellexit, illorum præfecturas militibus attribuit. Sic hodie Princeps vel belli Imperator, milites suos ad hodiernum armorum genus exercebit, bellica vt signa a se data obseruent; pedites quidem saltu, cursu,

Vegetius.

Vide Onosandrum de optimo Imp. tit. De exerc. militibus.

Cicero.

Plutarch. in regum Apophth.

curſu, palæſtra, ſclopetariis eiaculationibus, quę ad ſcopum præfixum fieri ſolent: interdum fictis incurſionibus, inſidiis, adumbratis proditionibus, ſimulatis itineribus, panicis terroribus. Equites & hoc inſuper, equos ſuos curare, currere & recurrere docere, incitare, tum ſiſtere, tum de via deflectere, tum per ſalebras decurrere, nec foſſæ nec riuo parcendo: denique & in orbē flectere, & alia bello neceſſaria. id Poëta voluit: *Dom. Cyll. lib. 2. cap. 2 & 3.*

Ante vrbē pueri & primæuo flore iuuentæ
Exercentur equis, domitantq; in puluere currus.
Aut acreis tendunt arcus, aut lēta lacertis
Spicula contorquent, curſuque ictuque laceſſunt.

Vix credibile, quantum exercitium in milite poſſit: nam non ſolum corpus ad omnia aſſuefacit & firmat, ſed etiam animum. Certum eſt, milites inexercitatos bellum ſummopere reformidare, & ſtrepitu, tumultu, fragore, inſtrumētorum bellicorum ictibus, & præcipue eorum, quæ fulminum tonitruumque *Alex. ab Alex. lib. 2. cap 25.*

inſtar, poſteriora ſecula inuenerũt, ſumme turbari.

Maior eſt bello timor ipſe belli.

vt cõtra bene exercitatos prœlium cupere. Ex vſu enim, vel ex animi præparatione prouidentiaque vnusquisque præſtantior fit. Nam præuiſa, ratione & cogitatione tolerabiliora ſunt. Hac vnica ratione Metellus a luxu ſuos auocauit, & ſtrenuis deinde bellatoribus aduerſus Iugurtham vſus eſt. Indolem Scipionis ſic depingit Silius:

Saluſtius in bello Iugurth.

Ipſe inter medios venturæ ingẽtia laudis,
Signa dabat, vibrare ſudem, transmittere ſaltu
Murales foſſas, vndoſum frangere nãdo
Lorica indutus vadum. ſpectacula tanta
Ante aciẽ virtutis erant. ſæpe alite planta
Ilia perfoſſum, & campi per aperta volantem
Ipſe pedes præuertit equũ, ſæpe arduus idẽ
Caſtrorum ſpacium, & ſaxo transmiſit & haſta.

CAPVT

CAPVT XVI.

De ordine militibus seruando: deque pœnis militaribus.

ORDINEM quoque in bello seruare, maximi momenti est; immo nihil salutarius, tutius. Macedones phalangibus Asiam; Romani legionibus suis totum fere terrarum orbem subegerunt. Legiones tamen, quæ modo quatuor, modo quinque, modo sex millium peditum; itemque modo ducentorum, modo trecentorum equitum erant, melius dispositas, & ad quodlibet facinus aptiores video. Tria enim hæc militũ genera, Principes, hastati, triarii; pedites quidem in cohortes, cohortes in manipulos, manipuli in centurias, cẽturiæ in cõtubernia; equites vero in turmas, turmæ in decurias distribuebãtur: & legionis milites viritim pugnabant; phalangis vero generalis impressio erat. ideo Liuius legiones Celtiberorũ quasi cuneum formare solitas scribit. quo genere pugnæ tantum valuerunt, vt quacũq; parte perculêre, impetum sustinere nequiuerint. Erat & Francis (scribit Agathias lib. 2.) forma aciei instar cu-

Onosander de opt. Imp. Sigon. lib. 1. de antiq. iure ciuium Rom. cap. 15.

Liuius.

nei, Δ litterę figurã præ se ferẽs, anteriore quidem sui parte in acutũ desinens. Pressa enim erat & densa, scutis vndequaque inter se consertis munita; dixisses suis caput sua structura efformare. Alæ vero vtrimque ex centuriis & decuriis in longum compositæ, & vt plurimum in obliquum protensæ, paulatim ab sese dilatabantur, & dirimebãtur, in maximam latitudinem desinentes: adeo vt locus intermedius vacuus relinqueretur, & nudata militum terga seriatim conspicerentur. Auersi enim inter se stabant, vt hostibus aduersi essent, & ex tuto confligerent, scutis protecti; terga vero mutuâ illâ inter se contrapositione tuerentur. Ordo in pugnando hic erat: Grauis armatura pro muris stabat; in qua prima acies & secunda immota stabat. Triarii vero residebant. Leuis armatura aduersarios prouocabat. Grauis armatura prœlium excipiebat; sed leuis armatura fugiẽtes sequebatur. Ordinis sui desertor capitę plecti solebat. Isocrates in oratione de Pace declarat infames olim habitos, qui vel ordinem deseruissent, vel clypeum

Domin. Cyll. lib. 2. cap. 6.

Isocrat.

abi-

abieciſſent. Idem indicat Æſchines aduerſus Timarchum, quod non fuiſſet in bello. Aut qui haſtam abieciſſet, ei non licebat in concione quicquam agere. Scipio ad Numantiam, quē extra ordinem deprehendebat, militem Romanum quidem vitibus, extraneū vero fuſtibus cædendum curabat. Qui Imperatoris iniuſſu dimicabant, temeritatem illam Romani extremo ſupplicio luebant. Manlius Torquatus, vir fortiſſimus, & Imp. optimus, militaris diſciplinæ ſanciendæ gratiâ, filium ſingulari virtute præditum, ſecuri percuti iuſſit, quod parentis iniuſſu hoſtem, a quo prouocatus fuerat, occidiſſet. Is igitur illis optimus miles habebatur, qui optime parêre didicerat. Turcæ hoc tempore in ſeruādo ordine diſciplinaq; militari cūctas nationes antecellere dicūtur: tanta enim ſeueritate & iuſticia eā exercent, vt veteres quoque Græcos Romanosque ſuperare putentur. Nulla vmquam inter eos pugna exauditur, nam vel minimum delictum capite vindicatur. Prompte obediunt imperantibus, ita vt nullum, quamuis manifeſtum

Plutarchus.

Renatus Lufinganus lib. 2. cap. 5.

vitæ diſcrimen ſubterfugiant. ſine tumultu & clamore in caſtris verſantur, & quamuis ſemper ibi maxima ſit frequētia, ſilentium perpetuum & ſtupendum obſeruant. Manus minima ſignificatione & nutibus regūtur, profunda tranāt flumina, abruptos ſuperant montes, vigiliæ inediæque tolerantiſſimi, nec vnā quidem mulierem in caſtris habent. In expeditione nemini infenſi: ideo agricolæ ad eorum aſpectum nequaquam pauent: tantum abeſt vt operas aut domos deſerant, quum nullum damnum, nullam vim reformident. Tantum ſcilicet conducit ad diſciplinam omnem ordinemque militarem ſeruandum, in impudicitiam, homicidium, contumaciam, rapinam, præfectorum contemptum, &c. morte aut ignominioſa miſſione, pro ratione delicti animaduertere. Hoc pręterea niſi fieret, id eueniret,
Leuit. 26. quod DEVS dicit: *Corruetis corā hoſtibus veſtris; ſubiiciemini eis, fugietis, nemine perſequente; terrebit vos ſonitus folii volantis.*
Ælius Lampr. Eleganter Alexander Seuerus Tribuno militum: *Si vis*, inquit, *Tribunus eſſe, immo ſi viuere vis, manus militum contine nemo pul-*

mo pullum alienum rapiat; vuam nullus auferat; nemo segetes deterat; nemo sal, oleum, ligna exigat; nemo ouem alterius rapiat; annonâ suâ contentus sit miles; e præda hostium, non e lachrymis prouincialium habeat; arma tersa sunto, ferramenta samiata, calceamenta fortia; vestis noua vestem veterem excludat: stipendium in baltheo, non in popina habeat. & quæ sequuntur. Quod de præda dicitur, cum moderatione intelligendum est. In conflictibus enim plærumque vincentibus obstitit, omittere hostem vt spolia sectêris. Dignissima notatu illa apud Saxonem Grammaticũ vox est: *Ne fatigetis milites, opum onere, manus prælio destinatas; ac scitote triumphum ante carpendum, quã censum. Proinde auro spreto, auri dominos insequamini; nec æris, sed victoriæ fulgorem miremini: meminisseque vos decet, satius trophæum pensare, quam quæstum: potioremq; esse metallo victoriam,* &c. Militi minori tamen in præda plus licet, quam Duci. Non loquor hîc de prædæ diuisione, quæ ab ipso Imperatore fieri consueuit. in ea enim merita & labores cuiuslibet militis perpendũtur. Themistoclem ferunt, quum ali-

Lib. Rerum Daniæ.

quando post victoriam ad mare, visendi cadauera gratiâ, accessisset, ac torques armillasque passim disiectas videret; se quidem præteriisse, sed amico qui sequebatur dixisse: *Collige, tu tibi, nam tu Themistocles non es.* Illud animaduertẽdum, ne parta aliqua victoria, milites rerum abundantiâ ad voluptatem & luxuriam inclinent. *Miles* (inquit Seuerus apud Lampridiũ) *non timet, nisi vestitus, calceatus, armatus, satur, & habens aliquid in Zonula.* Coronidis loco iuramẽtum militum Atheniensium addo: *Non ignominiâ afficiam arma sacra, neque deseram meum astitem, quo cum vinctus fuero; dimicabo pro sacris & profanis, siue solus, siue cum multis: Patriam non relinquam in deteriori statu, sed ampliori meliorīq; quam acceperim: semper magistratui præfecto prudenter obediam, & legibus constitutis parebo, & aliis quibuscumque plebis consensu decretis. quod si quis leges vel irritas facere, vel eis non obtemperare velit, non concedam, sed vlciscar tam solus quam cum pluribus. Sacra quoque patria colam. Horum dii mihi testes & conscii sunto.* Cæterum (vt hoc obiter moneam) pœnæ militum leniores olim

Stobæus serm. 14. de Repub.

olim erant ſtipendii priuatio, ad haſtæ dationem condemnatio, extra oppidũ hibernatio: itẽ foſſam fodere, ſtipendia prorogari, diſcinctos deſtitui, hordeo paſci, ſanguinẽ mitti, a caſtris ſegregari, ignominia mitti, &c. Grauiores pœnæ erant, virgis cædi, vite verberari, linguæ abſciſſio, manuum amputatio, crurum exſectio, in ſeruitutem adactio, exſilium, ſecuri percuſſio, decimatio: & aliæ, pro ratione delicti, vt ſupra dixi.

CAPVT XVII.

De vario præmiorum militarium genere.

HISCE non minus neceſſarium eſt, egregia facinora præmiis, laudationibus ſcilicet, honoribus, opibus, &c. compenſare. Hæc nominaui, quia præmia ad decus, vtilitatem, & vtrumque comparata ſunt. ea tamen quæ plus vtilitatis habent, minus honeſta videntur; cum dignitas vtilitate eleuetur. Vtut ſit, hinc coronæ murales, ciuicæ quernæ, nauales gramineæ: hinc annuli, hinc tituli, Magnus, Pater Patriæ, &c. Magni nomen meruerunt Alexander, Q. Fabius, Pompeius, Conſtantinus, Mi-

Bod. lib. 5. cap. 4.

chaël Palæologus, & alii nonnulli. Patres vero patriæ quam plurimi. Hinc tibicines & funales cærei, hinc ſtatuæ, hinc munerum diſtributiones, donorum largitiones, ſtipendiorum auctiones, & alia quæ virtutem excitant, imagines, arma gentilitia, ordinum promotio, militare cingulum, triumphus. Extat apud Vopiſcum Valeriani Imp. ad Aurelianum oratio, habita præſente exercitu, præſente officio Palatino, aſſidentibus Conſule, Præfecto prætorio, Præſide Orientis, &c. *Gratias tibi agit Aureliane Reſpubl. quod eam Gothorum poteſtate liberaſti: abundamus per te prædâ, & his omnibus, quibus Romana felicitas creſcit. Cape igitur tibi pro rebus geſtis tuis coronas murales quatuor, vallares quinque, haſtas puras decem, vexilla bicolora quatuor, tunicas ducales ruſſas quatuor, pallia proconſularia duo, togam prætextam, tunicam palmatam, togam pictam, ſubarmalem profundũ, ſellam eboratam. nam te Conſulem hodie deſigno.* & quæ ſequuntur. Inde factum, vt & Otho I. Imp. fortiſſimum quemq; militiæ ſuæ adſcriberet, eosque qui ſtrenuam ſibi fidelemque operam nauaſſent,

Fl. Vopiſcus.

Sigon. lib. 7. regni Italiæ.

ſent, regalibus ſuis inſignire inſtituerit. Erant autem Regalia, dignitates & prędia, quæ Rex benemeritis ad arbitrium concedebat: Dignitates, vt Duces qui Ducatum; Marchiones, qui Marchiam habebant; Comites, qui Comitatum a Principe in feudum acceperant: Prędia, vt vectigalia, telonea, portus; Ripalica, pedatica, monetæ, piſcariæ, molendina, ſalinæ, fluminum vſus, & omnis iſtorum prouentus, aliaque eius generis. Maximum incitamentum eſt præmium. *Sic ſe*, inquit Saluſtius, *hoſtem ferire, murum aſcendere, conſpici, dum tale facinus faceret, properabat miles; eam bonā famam, magnam nobilitatē putans.* Quod ſi Princeps, vxorum quoque & liberorum eorum, qui ſtrenue pugnando occubuerint, ſe rationem habiturum promiſerit, non ferrum, non flammas metuent. Athenis lege ſancitum erat, vt iis qui pro patria pugnando cecidiſſent, ex publico funus fieret, & in frequentiſſima ciuium concione laudarentur: ſed & illorum filii in Prytaneo publicis ſumptibus alebantur, inſtruebanturque ad ætatem vsq; iuſtam. Id niſi Romæ quo- Saluſtius.

que, Carthagini, Spartæ, & alibi obſeruatum fuiſſet, numquam vrbes illæ ad tantam magnitudinem perueniſſent. Huc priuilegia militaria pertinent, quæ ſarcta tecta conſeruari debent. Exſtat elegantiſſima Caroli Magni poſt debellatos Saxones Longobardosque oratio: *Ite* (inquit) *milites mei: vos heroes vocabimini, ſocii regum, iudices criminum. Viuite poſthac laboris expertes: conſulite Regibus publico nomine, fauete fœminis, iuuate pupillos, conſilio circumdate Principes: ab his victum, veſtitum, ſtipendium petite: Si quis negauerit, inglorius infamisq; eſto. Si quis iniuriam vobis intulerit, reum ſe maieſtatis agnoſcat. Vos autem cauete, ne tantum decus, tantumq; priuilegium iuſto bellorum labore partum, aut ebrietatis aut ſcurrilitatis, aut alio quouis vitio maculetis; ne, quod largimur vobis ad gloriam, redundet ad pœnam.*

Vide Camer. Med. 79.

Huc pertinent militiæ vacationes. Mos fuit equitibus Romanis, vbi legitimum tempus ſtipendiorum expleuerant, vt equum in forum ad Cenſores adducerent; enumeratisque ſingulis Ducibus & Imperatoribus, ſub quibus meruerunt, ac reddita militiæ ratione, peterēt vacati-

vacationem: ibi & honos habebatur, & ignominia pro cuiusque vitâ actâ. *Sedebant* (inquit Plutarchus) *magnâ grauitate Censores, Gellius & Catulus, transuehebant equites. Cn. Pompeius autem (qui iam bis triumphauerat, & Consul erat cum Marco Crasso) conspiciebatur superne in forum descendens. Erat aliis quidem Magistratibus insigniis ornatus, sed equum manu trahebat. Vt prope accessit, & cognitus est, equum admouit Rostris. Stetit populus, stupore & silentio defixus. Censores vero ex ea specie simul verecundia & gaudium occupauerunt. Inde maior natu interrogauit eum: Quæro ex te, Magne Pompei, ecquid omnia stipendia impleueris? Cui Pompeius alta voce: Omnia impleui, inquit, & me ipso Imperatore. Quod audiens populus, conclamauit: neque sedari præ lætitia clamor poterat: sed consurgentes Censores domum eum deduxerunt, populo prosequenti & applaudenti gratificantes.*

Plutarchus in Pompeio.

CAPVT XIIX.

De Consiliis militaribus.

AD Principis militaria consilia vt deueniam, quæ partem non minimã huius prudentiæ faciunt: Princeps nec

bellum appetet; nec lacessitus facile pacem petet. *Multa sunt magnis ducibus* (vt Marcello Q. Fabius dicebat) *sicut non aggredienda, ita semel aggressis non dimittenda; quia magnæ famæ momentum in vtramque partem fiat.* Et (vt antea dixi) nisi maior emolumenti spes, quam damni metus appareat, prœlium non conferet. Vt gubernator magis optandus qui Cyaneas cautes arte vitat, quam qui enauigat; vt præstantior medicus, qui morbum præcludit, quam qui receptum arte leuat: Ita Princeps qui consilio efficit nequa bella oriantur, eo prestat qui rei militaris peritia ea grauiter administrat. alterum enim, necessitatis; alterum, felicitatis: alterum, remedii est; alterum, voti. Quod si tamen prœlium conferendum est, id in Imperii sui visceribus non faciet; sed hostem, si fieri potest, extra Imperii fines anteuertet. Ex belli fortuna, hominũ voluntates facile mutantur. Et foris, si qua accepta fuerit calamitas, emendari potest: quæ domi accipiuntur clades, exitiales habentur. Id nimirum Agathocles videns, quum cerneret Carthaginiẽses Syracusas obsidere in

In Panegyr. ad Philip.

Iustinus.

rein

re in animo habere, bellum in Africam feliciter transtulit. Id consilii ab Anniba'e Antiocho regi datum est, vt bellũ in Italiam traiiceret. quod perpendens P. Sulpicius Consul, ita Romanos alloquitur: *Si non piguisset vos in Africam traiicere, hodie in Italia Annibalem & Carthaginienses hostes non haberetis.* Quod si tamen Princeps noster intra sui Principatus limites prœlium commiserit, prouide cum victis aget, & fines excedere petentes in dubio, permittet. Themistocles victo Xerxe pontes destruere prohibuit: *Aptius*, inquiens, *& tutius est, eũ ex Græcia expellere, quam cogere ex desperatione pugnare.* Iphicrates quum hostes fugasset, & in angustissimum locum deduxisset, dicere solebat, Non cogendos esse hostes vt strenui sint, sed tempus & locum fugæ dandum, vt quanto minimo periculo victoria obtineretur. Sapientissime. Crescit sępissime ex desperatione clausis, audacia. Inuicta vis est necessitatis. — *Plutarchus.*

Namq; illud sapientum dictum, non meũ,
Necessitate dira nil fortius.

Mempsis Aribæo bellum inferente, o- — *Polyænus lib. 7.*

mnia protulit extra murum, ne intra mœnia concluderetur; & pro ciuitate collocauit vxores, liberos, pecunias, portas etiam ciuitatis destruxit. Aribæus apparatum illorum desperationi similem veritus, metuensque ne ad mortem vsq; prœlium facerent, exercitum abduxit.. Agesilaus Messeniam exercitum ducens, misit exploratorem: quo nunciante, non solum ipsos Messenios ex vrbe prodire, sed etiam vxores ipsorum, & liberos, atque seruos in libertatem vocatos, discessit: quod eos de vita desperasse videret, atque idcirco fortius pugnaturos. Idem Pelopidas, & alii egregii duces obseruârunt. Henricum quemdam Anglorum Regem legimus, ab exercitu Gallorum circumuentum, omnia quæ in Gallia habebat, Regi Gallo tradere voluisse, si sibi suisque abitus tantummodo permitteretur. Quod cũ nullâ ratione obtinere se posse videret, Centurionibus noctu conuocatis, eos ita allocutus est: *Neque fugere,* (inquit) *commilitones, neque ex hostibus incolumitatem consequi precibus nostris valemus; sola nos arma adiuuare possunt. Non est quod numero-*

Front. lib. 2. cap. 1.

Polyænus lib. 2.

Æneas Sylu. lib. 3. comment. in Panorm.

nerosum exercitum formidetis. DEVS *iustæ caussæ aderit: is deuote iam orandus, & die crastino strenue pugnandum.* His verbis dimissa concione, cum nox in diem abire inciperet, cōmisso prœlio, octo Anglorum millia, incredibile auditu, sexaginta hostium millia fudêre: ita vt eam potissimum diem Gallorum opes fregisse scribant. Eâdem ratione Galli, Philippo Rege, Othonem Imp. superarūt. Huc pertinent illa Catonis maioris verba: *Inter nos* (inquit) *commilitones & castra nostra, medii hostes sunt: a tergo, hostium ager est. quod pulcherrimum, idem tutissimum est; in virtute spem positam habere, & in prœlio potius, quam in fuga mortem oppetere.* *Ægid.*

--moriamur, & in media arma ruamus.
Vna salus victis, nullam sperare salutem.

Consimili errore Vastonem Fuxęū peccasse legitur. nam cum ad Rauennam hostium copias fudisset, reliquias Hispanorum in cuneum coactas, quæ fugâ sibi salutem quærebant, persecutus, vitam primùm, nec multo post cetera quæ clarissimis victoriis adeptus erat, amisit. *Iouius & Bodinus.*

CAPVT XIX.

De præcoci consilio vitando: locoque ad castra pugnamque idoneo.

PERGO. Mature quinetiam omnia deliberabit, ne sua dicta factaq; præcipitet. Vnde recte Electra apud Sophoclem:

Qui facinus ingens tentat, ille lentus est.

Plutarch. in Apophth. Scribit Plutarchus, C. Domitium hostium aciem contemplatum, suis præfectis, vt extemplo signa inferret, instantibus, sibi satis temporis suppeditare negasse, vt concisis tot millibus, atq; impedimentis eorum direptis, in castra reuersi corpora curare possent. idem se postridie maturo consilio facturum, ostendit. quo tempore, prœlio conferto, quinquaginta millia trucidasse.

Horatius. *Vis consilii expers, mole ruit sua:*
Vim temperatam dii quoque prouehunt
In maius.---

In omnia itaque hostium inquiret, mores, naturam, ingenium, numerum, locum, vt quæ ipsi nõn secus ac sua cognita esse debent. quę res apud multos tanti fuit, vt ipsi quoque exploratores agere non sint veriti, solertissimorum ducum

cum magis quam prudentis Imperatoris officio functi. Id de Maiorano, Diuo, Constantino Magno, Mithridate, aliisque legimus. Cum Q. Sertorius aduersus Cimbros, cum C. Mario in castris esset, mutata veste in Cimbrorum castra penetrauit, vt illic hostium consilia atque ordines obseruaret. nimis magno periculo id agere aggressus, quod per alios, vilioris fortunæ homines, minori Reipubl. periculo assequi potuisset. Non negauerim tamen, locum castra ponendi, pugnādive quod attinet, ipsum Principem, si fieri potest, belli ducem, eiusque opportunitatem despicere debere, vt hostem sustinere, eumque opportune aggredi, aut includere possit. Hoc præterea requiro, vt regionum loca non tantum annotata habeat, sed etiam picta; vt non solum mentis cōsilio, verumetiam oculorum fide, cuncta perdiscat: vt facile scire possit, quibus copiis dimicandum, qua aciei specie, qua ratione latera tergaque subsidiis firmanda, & quos milites in fronte, si periculum imminet, debeat collocare. Neque hoc solum, sed & insuper

Car. Sigon. lib. 2. 14. Imp. occid.
Plutarch. in Sert.
Fulg. lib. 9. cap. 8.

Onosand. de opt. Imper. tit. de educē- de exerc. vellem, Principem itinerum peritos eligere; vt paucorum prudentia, ſolertiaque multorum ſaluti eſſe poſſit. Deniq; det operam, ne itinerum conſilia hoſtis reſciſcat. *Front. lib. 2. cap. 2.* Aiunt Xanthippum Lacedæmonium, Punici belli fortunam, ſola loci opportunitate conuertiſſe. Nam cum deſperantibus iam Carthaginiēſibus, Afros qui equitatu & elephantis præſtabant, colles ſectari; a Romanis autem, quorum robur in peditibus erat, campeſtria teneri: Pœnos in plana deduxit. Vbi per elephantos diſſipatis ordinibus Romanorum, ſparſos milites per Numidas perſequutus, eorum exercitum fudit, in illam diem terra marique victorem. Similiter Cn. Pōpeius, *Front. ibid.* cū in Cappadocia locum caſtris editum elegiſſet, procliui impetu militum, Mithridatem facile ſuperauit. Eadē ratione & C. Cæſar aduerſus Pharnacem Mithridatis filium dimicaturus, in colle aciem inſtruxit. quod expeditæ victoriæ cauſſam dedit: quia pila ex edito in ſubiectos barbaros emiſſa, protinus eos auerterunt. Hiſce & ſimilibus exemplis hiſtoriæ repletæ ſunt. Hoc quoq; Princeps

ceps in loco deligẽdo cauebit, ne miles puluerem, ventum, Solemve ante faciem habeat. Multos hac ratione profligatos legimus; Romanum apud Cannas ad Meridiem versum; Carthaginiẽsem vero ad Septẽtrionem. Experimur quotidie, quam Sol intuenti visum eripiat, quam ventus contrarius aciem inflectat, hostiumque tela adiuuet, quam denique puluis a fronte congestus, oculos impleat & claudat. L. Paulus Æmilius cum Perseo dimicaturus, tantisper moratus dum Sol vergeret in occasum circumactus, ne lumen Solis, quod erat suis matutino tempore, ex aduerso, oculos eorum perstringeret, sedens in tabernaculo suo, quod campos & hostium castra spectabat, tempus terebat. Inclinato tandem in vesperum die, cũ hoste congressus hora nona, ante decimam eũ profligauit. Tale quid de Mario scribunt, qui contra Cimbros suos ita disposuit, vt aduerso Sole, vento & puluere Barbarorum occuparetur exercitus. Sciebat vir prudens, eos glaciem ac niues perferre posse, æstum & Solem non item. Annibal callidissimus

Val. lib. 7. cap. 4.
Dam. Cyl. lib. 3. cap. 10.
Plutarchus in Timoleon.
Plutarch. in Æmil.
Plutarch. in Mario.

Imp. patentibus in campis, obseruato loci ingenio, quod & Sol ibi acerrimus, & plurimus puluis, & Eurus ab Oriente semper quasi ad cōstitutum flaret, ita aciem instruxit, vt Romanis aduersus hæc omnia obuersis, secundum ipse cęlum tenens, vento, puluere, Sole pugnaret. Itaque duo maximi exercitus cæsi, ad hostium satietatem, donec Annibal diceret militi suo: *Parce ferro.*

CAPVT XX.

De tempore pugnæ seruando, deque celeritate in exsequendo.

NON minus necessarium est belli Imperatori, tempus obseruare. Id nimirum respexit C. Marius, qui Cimbrorum Regi ad pugnam ipsum prouocanti, vt die & loco præfinito prodiret, respondisse fertur, *Nō esse moris apud Romanos, vt committendæ pugnæ consilium ab hostibus mutuarentur; prœlia non destinato, sed ex occasione sumenda, & pro occasione cōsilia mutanda, consilia noua nouis rebus accōmodanda, vt omnis temeritas absit.* C. Cęsar dicere solitus est, *Nihil in bello, opere insperato potentius esse.* Carolus Borbonius ad vrbem Romam intentissimo toti-

Plutarch. in Mario.

Iouius libr. 24. Bellaius lib. 3.

totius exercitus cursu peruenit, egens commeatus & tormentorum expers: sed signiferi cuiusdam insperato exitu occasione capta, scalis appositis, Clemente P. M. exterrito, neque vllum fugæ consilium explicante, frustra trepidis animis obsistente vrbana multitudine, vrbem vi capit & diripit. Porro occasiones erunt, veluti hostes dormientes, corpora curantes, conuiuantesve & nihil tale cogitantes aggredi. Hac ratione M. Valerius Calenos vino & epulis festo die indulgentes, adortus, minimo damno magnam stragem fecit, Calibusque captis ac direptis Calenũ triumphũ Romæ egit. Vnde illud Virgilii;

Plutarch. in Lysandro. *Livius lib. 28.*

Inuadunt vrbem somno vinoque sepultam.

Et Q. Cæcilius Metellus, desperata iam victoria, cum discessum meditaretur, certior factus a Sostrato proditore, custodias vigiliasque festo die negligentius seruari, Syracusas cæsis vigiliis inuasit. Athenienses in bello quod aduersus Peloponnenses anno sexto & vigesimo gerebant, diuturna militia fessi, remissius custodias excubiasque agebant. qua re cognita Lysander, passim in agris dis-

fuſos oppreſſit. qua quidem victoria Athenienſes Lacedæmoniis ſuccubuerunt. Nihil autem in bello, inſperato opere eſſe melius, in Hiſpania Scipio obſeruauit. qui cum comperiſſet Aſdrubalem, exercitu ieiuno mane proceſſiſſe, vsque ad horam ſeptimam ſuos in acie conſtituit; quibus præcepit, vt quieſcerent; cibumque caperent. Cumque hoſtes inediâ, ſiti, morâ, ſub armis fatigatos caſtra repetere conſpiceret; copias eduxit, prœlium commiſit, inſigni victoriâ. Ex his colligimus aliud prudentiæ bellicæ caput, Securitatem ſcilicet Principi noſtro vitandam eſſe: quum certiſſimum ſit illud Velleii Paterculi, *Neminem celerius opprimi, quam qui nihil timet; & frequentiſſimũ initium eſſe calamitatis, ſecuritatẽ.* L. Martius eques, qui reliquiis exercitus duorum Scipionum præfuit, cum in propinquo bina Pœnorum caſtra paucis millibus paſſuum diſtarẽt, cohortatus milites, proxima caſtra intempeſtâ nocte adortus eſt; &, cum hoſtem victoriȩ fiduciâ incompoſitum aggreſſus, ne nuncium quidem cladis reliquiſſet, breuiſſimo tempore militi ad requi-

Front. lib. 2. cap. 10.

requiem dato, eâdem nocte, raptim famæ rei gestæ prægressus, alterâ eadem castra inuasit. Ita bis simili euentu, deletis vtrobique Pœnis, amissas P. Rom. Hispanias restituit. Scribit Sabellicus, Turcos Croiam Epiri vrbem cum obsiderent, eruptione a Venetis facta, magna clade affectos, castris exsutos fuisse. Quo facto, dum ductores consultant, debeantne pulsis hostibus; in Turcorum castris, nocte illa, quæ instabat, esse; an in sua redire, nondum remisso prœlio: ecce hostes in Venetos cum clamore conuersi, victores fœdissima cæde in oppidum vsque persecuti sunt. Per noctes igitur vigilias obeant, maxime quæ intra vallum habentur: interdiu vero equites, qui pro castrorum custodia põnũtur, alii ante, alii post meridiem, propter hominum equorumque fatigationem, Tribunorum ordinatione mutandi sunt. In itinere autem, equites expediti progrediantur; a quibus & viarum angustiæ & nemora siluæque perlustrẽtur; ne quid per insidias pati exercitus possit: explorentq; ne inter viarum anfractus cauæ rupes intersint, quibus ho-

Lib. 10. Decad. 3

ſtes in inſidiis lateant. Hoc præterea, num hoſtis peditatu magis quam equitatu valeat, vt ſcire Princeps poſſit an conſultum ſit in campos planiciemque deſcendere, an vero anguſta loca, vepribus arboribusque impedita, quærere. Cęterum, qui tempus pugnandi opportunum, obſeruare vult, neceſſe eſt vt ſæpenumero ei cedat. Metellus iunctis cum Pompeio caſtris aduerſus Sertorium in Hiſpania, cum ſæpe aciem inſtruxiſſet, hoſte (qui ſe imparem credebat) pugnam detrectante; quodam deinde tempore, cum Sertorianos milites animaduerteret pugnam magno impetu depoſcere, humeros exercere, & lanceas vibrare: ſummo iudicio, ardori cedere ſtatuit in tempore, recepitque exercitum, & Pompeio idem faciendi auctor fuit. De celeritate in exequendo, aliquid antea ſub apparatibus dictum eſt. Cum C. Claudius olim, qui in Apulia Annibali oppoſitus erat, Aſdrubalis litteras, quibus ſe Annibali fratri in Vmbria occurſurum eſſe ſcribebat, intercepiſſet, non id tempus eſſe Reipubl. ratus, quo conſiliis ordinariis prouinciæ ſuæ

Front. lib. 2. cap. 1.

ſuæ quisque finibus per exercitus ſuos, cum hoſte deſtinato ab Senatu, bellum gereret, cum timeret ne Aſdrubal, inuito collega M. Liuio, qui ei in Gallia oppoſitus erat, ad Annibalem perueniret, atque cum eo caſtra coniungeret, id quod non ſine ſummo Imperii Rom. exitio futurum videbatur, magnis itineribus, ſex dierum ſpacio longitudinem Italiæ eſt emenſus. Et inſcio Annibale Aſdrubaleque caſtra M. Liuii Salinatoris ingreſſus, conſilio ac celeritate perfecit, vt Aſdrubal, cum ad pugnam deſcendiſſet, ipſe cum toto exercitu ad Senam flumen deleretur. Ante omnes vero Cæſar in commentariis teſtatur, ſe in Arari pontem vno die conſtituiſſe, alium item ſupra Rhenum, mira arte ac celeritate decem diebus militum operâ abſoluiſſe: claſſem contra Maſſilienſes nauium longarum XII. die triceſima ab exciſa materia armaſſe. De claſſe Romanorum, quæ 120. nauium erat, contra Hieronem hoc legitur, eam quinta & quadrageſima a ſecuri nauigaſſe. Ad Cæſarem vt reuertar, is ſæpe centena paſſuum millia vno die peregit, vt a-

Liuius.

Cæſar in comment.

liquando nuntios de se præueniret. Et sic videmus, paruas copias celeritate & festinatione sæpe magnos exercitus, ob socordiam officiique neglectum superasse.

CAPVT XXI.

De aliis nonnullis bellicis consiliis.

OMNIA bellica consilia hîc recensere nimis longum foret; præcipuorum tamen nonnulla tumultuariò addam. Det operam Princeps, ne auxiliariis militibus, id est, quos ipsi Princeps aliquis vel Respub. suis sumptibus auxilio mittit, vti cogatur. fit enim sæpenumero, cum ab eo ad quem missi sunt, neque præfectos, neque stipendia accipiant, vt eius imperium floccifaciant, prędæ vltra quam par est, operam dare, & omnia vastare soleant. Exemplis plenæ sunt historiæ eorum auxiliariorum, qui proditores, inuasores, defectores & desertores exstitêre. Quare Therycion e Delphis rediens, quum videret angustias Isthmi a Philippi copiis custoditas: *Malos,* inquit, *portarum custodes vos habet Peloponnesus:*

N. Machiauell. lib. 2. cap. 20.

Ioseph. lib. 15. cap. 9.

Herod. lib. 6.

Plutarch. in Lacon.

Ipsi

Ipsi custodes custodis egere videntur.

Quod si tamen auxiliario milite indigeat, sibi cauebit, ne auxiliares copiæ domesticis maiores sint; vt si quid tale occurrat, Princeps eis obsistere possit. Plurimum quoque in eo situm arbitror, vt Princeps consilia sua facta, disciplinam occultet: præcipue castrorum motus, ne ab exploratoribus, qui quam sæpissime intra ipsa commorantur castra, hostibus nunciari queat; vnde forsitan exercitus insidiis circumueniri posset. Recte M. Licinius Crassus cuidam percontanti quo tempore castra moturus esset? respondit: *Vererisne ne tubam non exaudias?* Idem de Antigono scribit Plutarchus in Regũ apophthegmatis. Pyrrhus Rex cum in animo haberet Lacedæmonem occupare, exercitum suum pacate duxit, donec Spartiatarum finibus ingressus est: ibi in prædam & populationem est discursum. Quærentibus Lacedæmoniis, Cur se, bello haud indicto, contra ius gentium hostiliter inuasisset? *Nec vobis curæ est*, respondit Pyrrhus, *viri Spartiatæ, quod facturi estis aliis denunciare.* Porro in castrorum loco de-

Front. lib. 1. cap. 1.

Sabell. lib. 8. Ennead. 4.

ligēdo notandū est, an aquatio propinqua sit, an pabulatio lignorūve copia desit, an locus possit hostib⁹, si ii forte locū vicinū occupent, subiectus esse; vtcū vicinus mōs altior offertur. Sed & in id sedulo eniti debet belli dux, ne ab hoste decipiatur, simulata putà fuga, vel simili alia ratione. Multū est, hostilē fraudē & fallaciā præuertere, & sic fallētes fallere. Notandum hîc est, quemadmodū summe vtile est, immo necessarium, in hostium castra sæpe mittere, cognoscendi & expiscandi caussa: *Errat* (ait lib. 3. Polybius) *qui putat aliquod magis proprium optimi Ducis officium esse, quam consilia & naturam hostis intelligere.* sic cauendum esse ab hostium legatis, qui sæpenumero exploratoris munere fungūtur. Huiusmodi legatos Galli aliquando ad Antigonum Macedonum regem miserūt, qui ipsi venalem pacem offerrent; simulq; castra specularentur. Quos quidem Rex, pro Regali munificentia, ingenti epularum apparatu ad cœnam inuitauit. Galli autem, expositum magnum auri & argenti pondus admirantes, prædæque vbertate sollicitati, infe-

Polyænus lib. 4.

Plutarchus.

stio-

ſtiores quam venerant, reuertuntur. Omniaque ſuis in maius extollentes, opes pariter & negligentiam Regis oſtendunt, caſtra quoque auro & argento referta, & neque vallo neque foſſa munita eſſe. Itaque nocte Regis caſtra aggrediuntur: qui præſentiens tantam Gallorum tempeſtatem, ſignum pridie dederat, vt fallentes falleret, & omnibus rebus ablatis taciti ſe in proximam ſiluam occultarent. Neque aliter ſeruata ſunt caſtra, quam deſerta. Vbi Galli omnia vacua, nec ſine defenſoribus modo, ſed ſine cuſtodibus vident, non fugam quidem hoſtium, ſed dolum arbitrantes, diu portas ingredi timuerunt. Demum integris intactiſque munimentis ſcrutantes potius, quam diripientes, caſtra occupauerunt. Tunc inuentis ablatis ad litus conuertuntur. Ibi dum naues minus cautæ eſſent, a remigibus & exercitus parte trucidantur, quæ eô cum cõiugibus & liberis aufugerunt, tanta ſtrage, vt Antigonus pacem, huius victoriæ opinione, non Gallis tantum, ſed finitimorum feritati præſtiterit. His addo, excogitata conſilia ſępe pro re nata mu-

tanda. Sed de his præcepta tradere perdifficile. Vt enim si nauium gubernatores dispositis licèt omnibus ex portu in pelagus soluant, orta ex improuiso tempestate, secundum occasiones consilia mutant: sic duces.

CAPVT XXII.

De Stratagematibus.

AD Stratagemata quod attinet, audiamus Vegetium loquentem: *Boni duces*, inquit, *non aperto Marte prælium, in quo est commune periculum, sed ex occulto semper attentant, vt integris suis, quãtos poßint hostes interimant, vel certe terreant.* Huc pertinet Periclis sententia, multorum calculis confirmata, *Tutius esse, immo præclarius, ingenio hostem & ratione, quã ferro vincere.* Ideo Agamemnõ ad rem Troianam euertendam, decem Nestores aut Vlysses consiliarios, quam totidem Aiaces aut Achilles bellatores sibi optauit. Det igitur operã Princeps vt prudentia ista occulta, & commentis potius, quam periculosis congressibus hostẽ opprimat. De Annibale hoc scribunt, sine callido aliquo consilio eum præ-

Lib. 3. cap. 19.

Amm. Marcell. lib. 29.

prœlium numquam commisisse. Marcellum in quinto Consulatu circumuẽtum occîdit. Fabio lusit operam, fraudem sępius & dolum machinatus: semel eum in leuem duxit errorem. Philippum aiunt Macedonum regem magis de prudentia, astu Imperatorio, & successu, quam in conciliandis hominibus habuisset, gloriari solitum, quam de copiarum & auxiliorum viribus; hanc subiungens rationem, rerum bene in prœliis gestarum laudem, sibi cum suis militibus communem, sed eorum quæ prudentia transegisset, titulum, ad se solum spectare. ideo Silius, Plut. in Fabio. Diodor. libr. 16.

Bellandum est astu; leuior laus in duce dextræ.

De Cæsare dubitat Suetonius, vtrum in obeundis expeditionibus cautior fuerit, an audentior. Callidis certe consiliis sæpenumero fit, vt hostes desperent aut terreantur, certe fallantur. Apud Casilinum post lõgam obsidionem rapa prope mœnia serebant, vt hosti desperationem deditionis facerent. Vicinioribus seculis Ladislaus rex Pannoniæ, inter Sãctos connumeratus, aduersus Polonos Sueton. Volaterr. de Princip. officio.

pugnans, post diuturnam Cracouiæ obsidionem, vt oppidanis copiæ opinionem faceret, montem vicinum noctu farina conspersit. Rati illi regem non destiturum, sese dediderunt. Datames Autophradatum persequentem fugiens, cum ad flumen prope venisset, trásitum metuens, castra ponere simulauit. Maximis autem & altissimis tabernaculis ab anteriore parte ædificatis, iumenta posterius soluere non permisit, neque militibus arma deponendi potestatem fecit. Hostes tabernacula conspicati, & ipsi castra posuerunt. Interea Datames cum instructo exercitu fluuium traiecit. Epaminondas ad pontem Sperchii Thessalis ex aduerso oppositis, videns circa auroram a fluuio magnam profundamque nubem exurgere, præcepit singulis manipulis, vt duos portarent lignorum fasces, alterum viridem, alterum aridum; media nocte aridum inferne, viridem desuper iniectum incendit. Cum simul nox & nubes atque fumus coirent, Epaminondas per pontem traduxit milites. qui cum in media planicie essent, postquam fumus cum nube euanuis-

Polyænus lib. 7.

Polyænus lib. 2.

nuiſſet, Theſſali primum tranſitum hoſtium ſenſerunt. Hinc apparet, ad Stratagemata multum conferre, qualitatem regionis, ſitus, fluminum, vallium, ſiluarum, Solis, ventorum, temporis, &c. aliasque circumſtantias intelligere & captare poſſe: vt illud, cognoſcere tempeſtates in ortu & occaſu Lunæ & Solis. exempli gratia: Sol purus ortus, nec feruens, ſerenum diem indicare videtur; pallidus, hibernam grandinem. Si pridie ſerenus óccidit & oritur, tanto certior ſerenitatis fides. Si concauus oritur, pluuias ſignificat, & ventos, ſi nubes ante ortum rubeſcant: quod ſi nigræ rubentibus interueniant, & pluuias. Si nubes ſereno cælo ferantur, a quacumque id parte fiat, venti exſpectandi ſunt. Sin eodem in loco globari conſpicientur, appropinquante ſole diſcutientur. & hoc ſi ab Aquilone fiat, ventos: ſi ab Auſtro, imbres Sole occidente: ſi ab vtraque eius parte cælum patet, tempeſtatem: vehementius autem ab oriente, in noctem aquam minantur; ab occidente vero, in poſterum diem. Cælo quamuis ſereno, nubecula licèt parua

Dominic. Cyll. lib. 3. cap. 10. & 11.

ventum procellosum dabit. Nebulæ e montibus descendentes, aut cælo cadentes, vel in vallibus sedentes, serenitatem promittunt. Tonitrua matutina ventum significant, imbrem meridiana.

Cæterum stratagemata in bellis iuste exerceri posse, dubitandum non est. nã, vt Canones aiunt, cùm bellum iustum susceptum est, vtrum aperte pugnet Princeps, an astu, nihil interest ad iustitiam. Cambysem Cyrus apud Xenophõtem rogat qua maxima ratione vincendum sit. Cui ille; *Si victoriam cupis, quacumque arte capiendi sunt hostes, occultis insidiis, dolo, fraudeque fallendi, & furto ac rapinis exhauriendi.* Ad hæc Cyrus: *O qualem me pater virum esse suades!* cõtrariam enim ab ineunte ætate disciplinam didici. Tum Cambyses, *Verum est*, inquit, *o fili sed ea inter amicos & ciues seruanda; hostes vero quacũq; fraude inuadẽdi.* Recte. Vt.n. permissum est, tigres, lynces, vrsos, lupos, aliaque eius generis animalia, quacumque arte doloque interficere: sic hostes. Quapropter & Iosuam ipsum stratagematis vsum legimus. Et notum est illud; *Dolus, an virtus, quis in hoste*

hoste requirat? Boni ducis est seu virtute hostem vincere, siue dolo. Hîc iterum moneo, ne sub Stratagematum specie, spes data fallatur.

CAPVT XXIII.

De prudentia bellica post bellum.

DIXIMVS de prudentia bellica ante bellum, & in bello. Iam de ea, quæ post bellum cernitur, pauca dicemus. Vbi distinguendum. aut enim victus, aut victor redit Princeps noster. Quod si victoriam reportet, id semper retinere debet, ne crudelis aut immanis sit, (diligenter enim perpendendum, humanæ vitæ conditionẽ hisce & similibus obnoxiã esse; idẽq; sibi cras, quod hodie alteri contingat, paratum esse.) Scribit Cicero, eos qui armis positis ad Imperatorum fidem confugerant, quamuis murum etiam aries percussisset, receptos a Romanis esse: quo nomine non minus gloriæ sibi pepererunt, quam tot de Pœnis victoriis. A quibus quum ad internicionem vsque Romanum nomẽ deductum esset, victis tandem Carthaginiensibus, & inclinatis eorum ad pacẽ

animis, quum ad Senatum ab ipſis legati mitterentur, tali erga eos miſericordia vſus eſt, vt & ipſis parcendum, & qui in vrbe captiui detinerentur, ſine vllo pretio Carthaginem remittendos decreuerit. nam meminiſſe videbantur, *plus parcendo victis, quam vincendo Romanum Imperium auctũ eſſe.* C. Cæſar in ciuili bello victor, tam clementer erga deuictos ſe geſſit, vt neminem ex illis extra aciem occidi paſſus ſit, vitamque iis conceſſit, qui in necem ipſius conſpirauerant: poſtquam in Ægyptum venit, Põpeii percuſſores tolli curauit; Pompeii caput ad ſe delatum, intueri noluit, ſepelirique iuſſit: Romam reuerſus, aduerſariis non ſolum ignouit, ſed præfecturas inſuper & prouincias iis demandauit. Exſtat illud Pyrrhi Regis, de imperii gloriâ certantis:

Cic. libr. 1. de Offic.

Vosne velit, an me, regnare hera, quidve ferat ſors,
Virtute experiamur. & hoc ſimul accipe dictum:
Quorum virtuti belli fortuna pepercit,
Horumdem me libertati parcere certũ eſt.

Notatu digniſſima eſt Pauli Æmilii illa ora-

oratio: *Virtus*, inquit, *cadentium etiam apud hostes magnam habet reuerentiæ partem. Quare fortuna maxime formidanda est, quæ lætis rebus tandem immisceat calamitatem. Alexandri successum, qui in altissimum dignitatis culmen euasit, vnius horæ spacio euersum conspicitis? Nonne tot exercitibus, tot equitibus & pedestribus copiis nuper circumdatum regem Perseum, nunc prostratum & euersum, ex hostiumque manibus cibum potumque singulis diebus capere cernitis? Igitur ob victoriam partam, insolescere desinatis, humilesque vos ac remissos præstetis, semper cum tremore exspectantes, in quem finem, præsentis felicitatis inuidiam fortuna conuertat*, &c. Atque reuera ita esse, exempla docent. Annibal tot annos victor, tot Romanos duces cæcîdit & fatigauit, tandem miser & exul veneno interiit. Idē de Mithridate, Syphate, Iuba, aliisque dici potest, qui victoriis suis elati, in hostium potestatem deuenêre, vt recte dixerit Arrius: *Siue viribus quis polleat, siue genere excellat, siue fortuna Alexandrum exsuperet, siue quis Asiæ imperio Africam adiungat, & cum his Europam continuet, felicem hunc esse non* *Arrius.*

posse, nisi animi moderatio adsit. Philippus victis Atheniensibus non modo non insultauit, sed iussit ob rerum humanarum conditionem, vt puer singulo mane memoraret, Philippe homo es. Hoc primum victori seruandum. Alterum est, vt Princeps victos in officio & fide retineat, ne nouas res attentent. Cn. Pompeius a populo Romano summus Imperator contra Piratas electus, cum eos magna virtute superasset, eorum post victoriam magnam curam gessit; & ne rursum, inopia coacti, eiusmodi scelera committerent, loca deserta eis distribuit, vrbes dedit, & eam inter alias, quæ Pompeiopolis dicta est. Xerxes iratus Babyloniis, quod a se defecissent, posteaquam illos redegit, interdixit ne ferrent arma, sed tibiis canerent, scorta alerent, cauponas haberent, ac sinuosis tunicis vterentur: quò voluptatibus euirati, defectionem denuo moliri desisterent. Idem de Phalaride, Philopomene, aliisque scribitur. Verum quia Mars communis, & incertus bellorum euentus esse solet; si Princeps vincatur, fortiter feret. Eumenes in Orcyniis Cap-

Dion Nicæus.

Herod. lib. 1.

Plut. in Reg. Apoph.

Pausan. in Arcad.

Cappadociæ ab Antigono per proditionem fusus, dum consectantur fugientem, non dedit facultatem proditori, vt ex fuga elaberetur ad hostes; sed arreptum suspendit. Fugiens autem contraria, ac illi tenebant via, insciis illis conuertit iter: atque præteritis hostibus, vt ad locum venit, vbi pugnatum fuerat, castra metatus, mortuos coaceruatos, circumiectorum vicorum diruptis cremauit, seorsum duces, seorsum gregarios milites, excitatisque tumulis, recepit se; vt Antigonus, qui pòst eô peruenit, stuperet audaciam atque immotũ eius animum. Sic Qu. Sertorius clades complures accepit, non sua, sed ducum culpa. At iis reparandis supra victores laudatus est. Semper itaque memoriæ tenendum, Res humanas ita comparatas esse, vt in victoria gloriari, in aduersis rebus tristari homines minime debeant.

Plutarch. in Eumen.

CAPVT XXIIII.

De belli ciuilis causis, remediisque.

Aristotel. in Polit.

SVPEREST bellum ciuile; cuius causæ variæ sunt, nam quemadmodum

quis tribus rationibus a plebis turba ſegregatur, diuitiis, nobilitate, virtute; ita ſeditiones harum trium rerum contentione excitantur. Qui opibus valēt, indignum exiſtimant, hominem egenum eodem honoris gradu collocari.
Oſor. lib. 6. Vbi vero multum nobilitati tribuitur, quoties homo nouus e tenebris emergit, & honoribus illuſtratur, ibi nobiles, indignum facinus clamant, hominem terræ filium ad eos honores, ſolis (vt putant) nobilibus debitos promoueri. Simili ratione ſi vir militaris ſibi antelatum aliquem cernit, quem ſe virtute inferiorem putat, plus quam dici poteſt, diſcruciatur. His itaque offenſi ciues, diſſidia moliũtur. Neque ob aliud Romana reſpub. euerſa, quam propter temeritatem multitudinis in nobilitatem concitatæ. Hac ratione cum plebis cupiditas creuiſſet, vt nullo metu coërceri poſſet, & turbulentis hominum popularium orationibus, ad ſpem ingentis prædæ fuiſſet vehementer excitata, omnia diuina humanaque iura violare non dubitabat. Eodem prorſus
Bod. libr. 4. cap. 2. modo Athenæ & Sparta ciuilibus conrenti-

tentionibus funditus excisæ sunt. Non immerito itaque Demosthenes, cum Athenis exularet, & ciuitatis arcem respiceret, flens exclamabat: *O Minerua* (inquiens) *quid tibi venit in mentem, tribus feris importunissimis delectari, noctua, dracone & populo!* Sed & si Princeps tyrannidem exerceat, facile domesticum bellum excitabitur; vt si auaritia, aut impotenti libidine, aut vtroque vitio fractus, languescat: plures tamen voluptas, quã crudelitas perdidit. ratio hæc est: quia crudelitas ciuibus metum quidem incutit, sed Tyranni libido, odium & contemptum excitat. Vix dignus Imperio videtur, qui nimis voluptatib. deditus est. Grauissima hæc Senatus pop. Romani sententia fuit, quæ propter Lucretiæ stuprum, aliaque infinita ac tyrannica facinora, de imperio Tarquinio Superbo regi abrogando, pronunciata est, vxore ac liberis, Tarquiniisque omnibus eiiciendis vrbe, Italiæ finibus; hac cum maxima sanctione, vt si quis vmquam de reducendo Rege cum populo ageret, ei capitale esset. Childericus Merouei F. Franco-

Dionys. Hal. lib. 5.

Liuius lib. 1.

rum rex, ob attẽtatam illuſtrium fœminarumq́; pudicitiam, coniuratione Procerum in exilium miſſus eſt. Omitto Sardanapalum, Dionyſium iuniorem, Neronem, Heliogabalum, & alios cõplures. Hiſce igitur abſtineat Princeps. Accidit plærumque, vt ea odia, quæ diu in Tyrannis, ſtante eorum fortuna, exitii timore diſſimulantur, quum eorum res labi cœperunt, actius & liberius erumpant. Hæ ciuilis belli cauſſæ propinquæ. Eſt & alia remotior, ciuium luxus, qui cernitur in victu, veſtitu, ſupellectile, comitatu & ædificiis. *Quæ enim res alia*, inquit Florus, *furores ciuiles peperit, quam nimia felicitas? Syria prima nos victa corrupit, mox Aſiatica Pergameni regis hæreditas. Illæ opes atque diuitiæ afflixêre ſeculi mores, merſamque vitiis ſuis quaſi ſentinâ Rempublic. peſſum dedêre. Vnde enim populus Romanus a tribunis agros & cibaria flagitaret, niſi per famem, quam luxus fecerat? Hinc ergo Gracchana & prima & ſecunda, & illa tertia Apuleiana ſeditio.* Cognitis belli ciuilis cauſſis, facile erit iis occurerre. Et quia ſeditio, factio multorum eſt ciuium, qui vniuerſitatem con-

Æmil.

Florus lib. 3 cap. 12

tu-

turbant, danda opera eſt, vt factio initio coërceatur. Ideo Liuius libr. 4. de Ardeatibus loquens: *Frui namq;*, inquit, *pace optimo conſilio cum populo Rom. ſeruata, per inteſtina arma non licuit: quorum cauſſa atque initium traditur ex certamine factionum ortum, quæ fuerunt eruntque pluribus populis magis exitio, quam bella externa, quam fames, morbive, quæque alia*, &c. *Omne malum naſcens*, inquit Cicero, *facile opprimitur*. Romani, ſi quãdo Tribuni nouis factionibus Rempublic. turbarent, bello aliquo ſiue de induſtria, ſeu de caſu excitato, parabant verſare ciues & diſtinere; ne domi reſides, tribunorum plebis concionibus & ſeditionibus intenderent. Quo remedio fereſemper vtebantur, medicorum more, ad motus turbulentos ex ciuitate expellẽdos; vt ſic Principatus, velut corpus corruptis humoribus plenum, euacuetur. M. Cato cum populum a Cæſare animaduerteret in Catilinæ coniuratione, ad nouãdas res præcipitem eſſe; induxit Senatum, vt inopi plebi frumenti congiarium daret. Eo munere populares procellæ conquieuerunt. Pari ratione

Cicero.

Plut. in apoph. polit.

Bod. lib. 4. de Republ. luxum amouebit & moderabitur Princeps. Lycurgus, vt omnem tolleret luxum, publica conuiuia instituit, vt diuites promiscue & inopes vni adhiberentur conuiuio, vnisque vescerentur epulis; ac ne lautorum quisquam cœnatus in publicum veniret: si quis minus cupide & hilariter vesceretur, vt parum frugi a proxime accumbentibus obiurgabatur. Plut. in Camillo. M. Cato, vt luxum, cum censor esset, amoueret, præcepit, vt vestes, vehicula, ornamenta muliebria, vtensilia, quorum singula pluris, quam si quindecim millium æris essent, æstimarentur: voluitque vt a maiori censu maius tributum penderent; ternosq; in millia æris asses assignauit, vt inferrent: vt iis exactionibus pressi, cum viderent adstrictos & frugales, a paribus facultatibus minus tributi ferre, luxum deponerent. Plutarch. in Catone.

Bod. lib. 6. cap. 2. Atque hoc quidem vectigal, quod scil. iis rebus imponitur quę ad corrumpendos ciuium mores, quæ ad delicias, quæ ad luxum, quæ ad libidinem spectant, vt aurea & argentea supellex, odores, pigmenta, innumerabilia vestium ornamenta, colores pretiosissimi, gemmæ, mar-

margaritæ, cupediç & cætera eiusdẽ generis, hoc inquã vectigal pulcherrimũ, honestissimum vtilissimumq; habetur. De Tyrannis nihil dico. ii enim quamdiu Tyranni manent, digni sunt, non solum qui bellis ciuilibus vexentur, sed etiam qui Principatu exuantur. At non aio subditis id ius esse. Nam recte Plato, sicut desipienti patri non est vis inferenda, sic nec desipienti patriæ vel Principi. Notandum postremo est, bella ciuilia in *Monarchia* minus, quam vel in *Democratia*, vel *Aristocratia* excitari solere. Fit enim nescio quo pacto, vt Principis etiam iniquitatem multo patientius tolerandam arbitremur. tanta nominis Regii maiestas est, tanta muneris amplitudo, & proditorum infamia, dirique exitus. Quam porro eiusmodi bella ciuilia exitiosa sint, non opus est quicquam dicere. id nos satis hodie Gallia docet, quæ tot annis ciuilium malorũ æstu iactatur, vt merito quis exclamare possit:

Quãdo finis erit tantorũ & meta malorũ?

Bod. de Rep. lib. 2. cap. 5.

idem lib. 4.

CAPVT XXV.

De principis fortitudine.

AD maiestatem, id est, auctoritatem sibi conciliandam, dicebamus prudentiâ & fortitudine opus esse. Hactenus de primo membro. Ordo iam postulat, vt de fortitudine aliquid dicamus. *Magnitudinis animi & fortitudinis proprium est,* inquit Cicero, *nihil extimescere, omnia humana despicere, nihil quod homini accidere potest, intolerandum putare. Nulla vis* (ait idem alibi) *tanta est, quæ non ferro aut viribus debilitari frangiq; poßit: at vincere animum qui potest, non modo cum summis viris comparari potest, sed Deo similis habendus.* Si igitur Princeps excelso animo præditus sit, omnes inuictum animi robur nemini cedentis, nulli labori succumbentis, nullis periculis officia relinquentis, admirabuntur: quæ admiratio maiestatem pariet; & talem quidē, quæ ipsum in supremo honoris gradu collocet, & hostium animos ac mentes sui splēdore ita præstringat, vt ipsi sponte seruire, quam imperare pulcrius ducturi sint. Hæc nimirum illa virtus est, quę res humanas despicit, atque infra se posi-

Cic. de Offic.

Bod. de Rep. lib. 5.

positas arbitratur, neque Fortunæ vlla fulmina pertimeſcit, neque vlla ægritudine concutitur, neque vmquam malis cedit, ſed ſemper audentior inſurgit: hic ille fortis & conſtans animus, quem, *ſi fractus illabatur orbis,* (vt ait Horatius) *Impauidum ferient ruinæ.* Porro fortitudo non ſolum in aduerſis, ſed & in ſecũdis apparet. Totila dicere ſolebat, *Res ſecundas aut aduerſas immoderate ferre, nõ fortium virorum eſſe; ſed hoc diffidentis, illud humanas vires obliuiſcentis.* Nota Africani illa vox eſt, *Romanos nec victos animum, nec victores modeſtiam amittere; nec duriores pacis conditiones ſe partâ victoriâ, quã ante bellũ dare conſueſſe.* Idẽ Camillus aliis verbis: *Nec mihi,* inquit, *dictatura animum fecit, nec exilium ademit.* Hoc de Romanis vere dici, tunc clariſſime apparuit, cum eos Annibal triplici trium exercituum clade oppreſſiſſet, cum totam pene Italiam ſub imperium Punicum ſubieciſſet. Rex Ægypti mille auri pondo, viginti mille argenti Romanis dono dedit; qui cum gratiarum actione, aliorumque fœderatorum dona magno animo recuſârunt, licèt tot

Sabell.

Plutarchus in Scip. Afric.

Liuius.

Liuius libr. 37.

calamitatibus acceptis ærarium tunc pene exhauſtum eſſet. Metellus Numidicus populari factione, patriâ pulſus in Aſiam ſeceſſit: in qua cum ei forte ludos Trallibus ſpectāti litterę redditę eſſent, quibus ſcriptum erat, maximo Senatus & populi conſenſu reditum illi in vrbē datum; non e theatro prius abiit, quam ſpectaculum ederetur: neque lætitiam ſuam proxime ſedentibus vllâ ex parte patefecit, ſed ſummum gaudium intra ſe continuit. Eundem conſtat pari vultu & exulem fuiſſe, & reſtitutum: adeo moderationis beneficio medius ſemper inter ſecundas & aduerſas res, animi firmitate verſatus eſt. Idem de Sertorio dicit Plutarchus, eum neque lætitię neque timori paruiſſe; in vtrâque pariter fortunâ eodem habitu ſemper conſtitiſſe. Sed & hîc cauendum, NE QVID NIMIS. Qui enim temerarie & inconſiderate cum hoſte confligit, licèt magno conatu atque robore id fiat, eum tamen nullo modo fortem appellari cōuenit. Cur enim hac eximia laude non leones, pātheras & cetera, in quibus natura incredibile robur inſeuit, ornaremus,

Valerius lib. 4. cap. 1.

Plutarchus.

mus,

mus, ſi virtus aliqua poſſet ſine lumine rationis aliquo modo conſiſtere. Fortis *Ariſtoteles.* eſt, qui rationi, qua a belluis differimus, parens, nullum periculum pro ſalute communi recuſat. Audax & temerarius rationis ſemitam non ſequitur: ideo ſæpe inconſideratæ animoſitatis pœnas *Liuius lib.* luit. *Temeritate armata nihil funeſtius.* Ser. *67.* Cæpio Conſul contra Cimbros in Italiam irruentes, temere pugnans, 80. millia amiſit. Quum Antigonus rex Alcionæum filium ſuum in acie cecidiſſe audiſſet: *O Alcionæe*, dixit, *ſerius quam oportuit, vitam tuam morte commutaſti, qui tam temere in hoſtes inſilieris, neq; tuæ ſalutis, neq; meorum monitorum, vllam habueris rationem.* Putauit vir ſapiens, non eſſe deflendum hominem, qui temeritate potius, quam fortitudine, vitam ſibi eripuiſſet. *Inſulſa audacia*, inquit Agathi- *Agathias.* as, *in exitium ducit: prudens cunctatio ſernare ſatis apta.* Audacia (vt concludam) *Æmilius.* antequam radices agat, in ipſo ortu vindicanda: quando cum inueterârit, velut ſuo iure ſæuit: nec euertitur, niſi magnâ ſuâ continentiumque ruina, ſæpeque oppreſſis ipſis vindicibus.

Sed cum multa dies varius, voluendaq; rerum
Fert series, quum seu patriæ poscente iuuandæ
M. Marull. *Officio, seu tutandorum forte suorum,*
Vitādæve notæ, turpe est sibi parcere forti,
Et vitam egregio non impendisse decoro.

CAPVT XXVI.

De beneuolentia, maiestatisque conseruandæ rationibus.

HIs fere modis beneuolentiam sibi & maiestatem conciliabit: cæteris vero virtutibus conseruabit; inter quas maximi facienda temperantia est, quæ Aristoteles. totius honestatis & elegantiæ decus & ornamentum in se continet, & omnium perturbationum sedationem. Parum est, recte sentire, si statim voluptates nos a rectā sententia depellant. Temperandi igitur Principi sunt animi motus, atque temerarii turbulentiq; coercendi, comprimendi. Sapienter itaq; Scipio Massinissam his alloquitur verbis: Liuius 10. dec. 3. *Non est, mihi crede, tantum ab hostibus armatis ætati nostræ periculi, quantum a circumfusis undique voluptatibus; qui eas suā temperantiā frenauit, ac domuit, multo maius*

ius decus, maioremq; victoriam sibi peperit, quam nos Syphace victo habemus. Homo Barbarus quidam superioribus mensibus, spectante populo, per funem ad altissimam turrim religatum expeditissimus incedebat: cumque esset descensurus, omnes ne corrueret, timebamus: is brachiis examinantibus ita se sustinebat, vt non modo præceps non ferretur, sed neque penderet neque propenderet: cumque aliquando studiose loco se deiecisset, pede altero se suspendens, tamquam paribus libratus ponderibus, exsurgebat mirandum in modum. Ergo funambulus corpori moderationem adhibere poterit, & vir sapiens animo non poterit? absit.

Vt corpus redimas, ferrũ patieris & ignes: **Horat.**
Vt valeas animo, quicquam tolerare negabis?

Porro, quia voluptates principes communissimæ vehementissimæque sunt, in gustu & tactu, circa alimenta & venerea moderatus erit. Nam, vt eleganter Galenus dixit, *Animi mores corporis temperamentum sequuntur.* Itaque danda opera est, vt sobria victus ratione, mens

ad temperiem deducatur: alioqui & morbos corporeos gignet, & contemptum odiumque. *Epulæ* (inquit Seneca) *Epist. 24.* *cruditatem afferunt; ebrietates, neruorum torporem tremoremq́; libidines, pedum, manuum, articulorum omnium deprauationes.* L. Sylla dictator, intempestiuis conui- *Plutarchus.* uiis intestinum morbum contraxit; quo vitiatum corpus totum, in fœdam pediculorum tabem abiit, vt tunicæ, thermæ, balnea, quæ assidue frequentabat, dapes quoque, diris polluerentur sordibus. Alcibiades cum egregiam indolẽ *Plutarchus.* intemperantiâ contaminasset, ignominiæ sempiternæ maculis est adspersus. Alexandri magni nomen, quod primò *Q. Curt.* hostibus etiam carum erat, luxuriâ repente, amicis quoque infestum factum est. C. Iulius Cæsar, post victum Pompeium Athenas etiam cepit, & rerum gestarum gloriâ sexcentos vicit Imperatores. a fœda tamen libidine victus est, & qui hostes multos cepit, amore mul- *Seneca epist. 84. lib. 12.* torum captus est. M. Antonium magnum virum, & ingenii nobilis, quæ alia res perdidit, & in externos mores ac vitia non Romana traiecit, quam ebrietas?

etas? Nec minor vino Cleopatræ amor, Hæc illum res hoſtem Reipub. hæc hoſtibus ſuis imparem reddidit, hæc crudelem fecit, cum capita Principum ciuitatis cænanti referrentur, cum inter apparatiſſimas epulas luxusque regales, ora ac manus proſcriptorum recognoſceret; cum vino grauis, ſitiret tamen ſanguinem. Fere vinolētiam crudelitas ſequitur. violatur enim exaſperaturque mentis ſanitas. Quemadmodum difficiles faciunt oculos diutini morbi, etiam ad minimam radii ſolis offenſionē; ita ebrietates cōtinuæ efferant animos, Cambyſem Regem, (vt idem Seneca lib. De ira recitat) nimis vino deditum, Præxaſpes vnus ex cariſſimis monebat, vt parcius biberet: turpem eſſe dicens ebrietatem in Principe, quem oculi omnium auresque ſequerentur. Ad hoc ille, *Vt ſcias,* inquit, *quemadmodum numquam excidam mihi, approbabo iam & oculos poſt vinum in officio eſſe & manus.* Bibit deinde liberalius quam aliàs, capacioribus ſcypis: & iam grauis & vinolentus, obiurgatoris ſui filium procedere vltra limen iubet; alleuataque ſuper caput ſi-

niſtra manu ſtare. Tunc intendit arcum, & ipſum cor adoleſcentis (id enim ſe petere dixerat) figit, reciſoque pectore, hęrens in ipſo corde ſpiculum, oſtendit: ac reſpiciens patrem, an ſatis certam haberet manum, interrogauit. *O Regem cruentum,* (ſubiungit idem) *ô dignum, in quē omnium ſuorum arcus verterentur.* Omitto lubens Sardanapalos, Tarquinios, Appios, Claudios, Antonios, Caligulas, Nerones, Commodos, Heliogabalos, aliaque voluptatis mancipia & naturæ monſtra; quorum diri exitus omnibus noti ſunt. Quin potius Princeps noſter Iulianum imitabitur, qui libidinis labē in adulto robore iuuentutis, ita caute vitauit, vt ne ſuſpicione quidem tenus libidinis vllius vel a ſecretioribus vitæ miniſtris incuſaretur. Hoc autem temperantiæ genus, maxima ciborum & ſomni parſimonia iuuit; quibus domi foriſque tenacius vtebatur. Namque in pace, eius menſarum tenuitas admiranda erat; per varios autem procinctus, ſtās interdum more militiæ cibum breuem vilemque ſumere viſebatur. Vbi vero exigua dormiendi quiete, corpus recre-

Amm. Marcell. lib. 25.

Idem lib. 16.

recreasset laboribus induratum, expergefactus explorabat per se vigiliarum vices, & stationum, &c. Elegantissimũ est illud Catonis Censorii dictum: *Cui magna corporis cultus cura, ei magna virtutis incuria.* Huc pertinet morum temperantia, quæ condimentum humanæ societatis appellari potest. *Humanitas* (ait Gellius) *est beniuolentia quædam ac dexteritas erga omnes homines permista.* Sit igitur Princeps popularis, familiaris, affabilis, facilis; & nihilominus seuerus, vbi opus est. Hæc ad beneuolentiam simul maiestatemque tuendam summe proficiunt. *Solet* (inquit Nicephorus) *benignitas morum & dexteritas in altioris dignitatis gradu, facile omnium animos sibi reddere obnoxios; vt verno tempore splendidi flores, prætereuntium oculos in se conuertunt.* Vespasianus Imp. non Senatores tantum Romanos, sed priuatos etiam homines salutare, hospitio excipere, & apud eos cænare quandoque consueuerat. Sua consilia semper cum Patribus communicabat, sæpe etiam ipse ius dicebat in foro. Ad summam, in iis quæ ad Reipublic. curam pertinebant, Imperator *Xiphilinus.*

erat; in cæteris tamquam priuatus viuebat. Scribit Spartianus, Adrianum in colloquiis etiam humilimorum ciuilissimum fuisse: detestans eos, qui sibi hãc voluptatem humanitatis, quasi seruantes fastigium Principis, inuiderent. Extat Titi eiusdem Vespasiani filii dictum notatu perdignum: *Non oportere quemquam a Principis conspectu tristem abire.* Inter alia Traiani Imp. dicta hoc illius fertur egregium. Amicis enim culpantibus, quod nimis circa omnes comis esset, respondit: *Talem se Imperatorem esse priuatis, quales esse sibi Imperatores priuatus optasset.* Eâdem ratione cum Mammæa mater & Memmia vxor Alexandro nimiam ciuilitatem obiicerent, & sæpe dicerent, *Molliorem tibi potestatem, & contemptibiliorem Imperii fecisti:* ille respondit, *sed securiorem atque diuturniorem.* Sed & hîc excessus fugiendus. Antiochus Epiphanes, Asiæ rex, ob nimiam popularitatem, insani nomen meruit. Appius Claudius nimia popularitate, de gradu deturbatus, inuidiam Senatus metuens, cæcitatem simulauit, domique se continuit. De Gothorum quodam Rege,

Sueton.

Eutrop. lib. 8. in pr.

Athen. lib. 5. cap. 4.

Diod. lib 20.

I. Magn. libr. 7. cap. 17.

ge, qui milites ſuos non ſolum commilitones, ſed combibones fecerat, ſcribunt, cum per ludibrium in dolium ceruiſiæ præcipitatum, interiiſſe. Ideo dicebam; Imperatorem ſuo loco & tempore, ſeuerum eſſe debere. Exſtat Alexandri Seueri oratio ad milites; cum tumultuarentur: *Qui in concione eſtis, vocẽ contra hoſtem, non contra Imperatorem veſtrum emittite. Certe campiductores veſtri hanc vos docuerunt contra Sarmatas, Germanos ac Perſas emittere; non contra eum, qui acceptam a prouincialibus annonam, qui veſtem, qui ſtipendia vobis attribuit. Continete igitur vocem turbulentam, ne vos hodie omnes vno ore, atque vna voce dimittam: Quirites dimittam, & incertum an Quirites: non enim digni eſtis, qui vel Romanæ plebis ſitis, ſi ius Romanum non agnoſcitis.* Quum poſt iſta nihilominus fremerẽt, exclamauit: *Quirites diſcedite, & arma ponite.* Mirando exemplo depoſitis armis, depoſitis etiam ſagulis militaribus, omnes non ad caſtra, ſed ad diuerſoria varia receſſerunt: tuncque prius intellectum, quantum ipſius ſeueritas poſſet. Et profecto ita eſt, quemadmodum a-

I. Capitol.

mara dulcibus plerumque ſalubriora, ſic ſeueritas ſubditis plærumque vtilior nimia humanitate. Cernitur & in loquẽdo moderatio quædam. De Scipione ſcribit Liuius; cum legatos Hiſpanicos allocutum, ita elato, ab ingenti virtutum ſuarum fiducia animo, vt nullum ferox verbum excideret, ingensq; omnibus quæ ageret tum maieſtas adeſſet, tum fides. A ſermonibus item hyperbolicis; quantum fieri poteſt, abſtinebit Princeps, qui auctoritatem minuere, & exiguum rerum vſum denotare ſolent. Veritati itaque, cuius vna vis, vnaque facies, ſemper ſtudebit, nec vlla vmquam vtilitatis cauſſa mẽtietur. Videmus quotidie, in mendacio deprehẽſos, non ſecus ac ii qui fœdum ac flagitioſum quid commiſère, erubeſcere. Et quamuis mendax non deprehendatur, perpetuo tamen aut pœnam, aut incõmodum, aut offenſionem metuit. Si in priuato hoc obtinet, quid in Principe, qui animo excelſo eſſe debet? quomodo ſubditi ei ſe credere poterunt, qui raro credenda loquitur? Rotæ naturam eleganter exprimit Ouidius, quæ quo magis

Liuius.

gis seipsam sequitur, tãto seipsam fugit. Idem in mendace. quo magis enim veritati inniti videri vult, tanto magis ab ea aberrat, & mendacium referat, suamque vanitatem ostendit. Ideo apud Persas & Indos, qui ter mendacio abusus fuisset, illi per omnem vitam silentium imponebatur, nulloque magistratu aut honore dignus habebatur. Breuiloquentia quoque prudens Principem summopere decet. Ideo de Menelao scribit Homerus, Eum quidem pauca loqui solitũ, sed plane argutissima. Debet enim, (quod prouerbium de Lacedæmoniis dicit) *factis magis, quam loquacitate valere.* Publicam porro orationẽ habituro, enitendum erit vt ore, vultu, verbis, omni denique actione cum dignitate maiestatem tueatur. nam hæc singula pro legibus, pro exemplis, prò oraculis haberi consueuerunt. Si priuatim quem alloqui volet, iudicio vtatur.

Alexan. ab Alex. 6. cap. 10.

Bod. libr. 4.

Nam neque compellare iisdem sermonibus omnes,
Sed bello super atque armis, rogitare magistros
Bellãdi; nautas super æquore; deniq; latos

Sementum, de messe: canes nutrire paratos,
De canibus: peregre venientes, quæ loca & vrbes,
Quos fluuios, quid quisque ignoto viderit orbe.
Interea seruare vicem, atque alterna modestus,
Alloquia, & ceptis finē quoq; ponere verbis.

De temperantia in vestitu,

M. Marullus. *--quia non aliter fortunæ opibusq; tuentum*
Fit satis, & tanta maiestas regia dote
Prædita, plebeio vilis sordescit amictu,

hoc vnum addo, Principem in vestibus leuitatem vitare debere. Admonitus aliquando Alphonsus, Arragonum Rex, vt vestib⁹ splendidiorib⁹ vteretur: *Mala,* respondit, *moribus & auctoritate meos excellere, quam diademate & purpura.* Venit mihi iam in mentem illud Cornelii Aurelii: *Sceptrū eburneū quo insignietur dextera tua, docebit te, vt nihil non rectum imperes. Aquila vero, quæ vel huius fastigio sceptri iuxta Homerum insidet, aut hodierno ritu Imperiale fastigium occupat, hoc tibi portendit, vt ad cælestia mente subuolitans, aquilinis oculis quæ humi sunt, despicias. Postremo*

Panorm. lib. 1. de gestis Alphons.

Corn. Aurelius.

aureā

aureâ caput accingeris coronâ, vt inprimis quamplurimum ipſe ſapias: Conſilii autem gratiâ, ſapientum caterua te ſemper comitetur (aurum quippe ſapientiā myſtice ſignat) ne quid vt homo per errorem pecces: deinde curare continuo quæ recta ſunt, ne quid contra animi iudicium & rationem perperam corruptēq; perpetres aut efficias. His addo pulcerrimam ſimilitudinem: Quemadmodum corpora cæleſtia, ſi vel paullum tumultuentur aut recto curſu diuarient, nō ſine graui rerum humanarum pernicie id faciunt, id quod in defectibus Solis & Lunæ videre eſt: Ita Principes, ſi quid aberrent ab honeſto, aut ſi quid ambitione, ira, luxuria, ſtultitiave peccent, id protinus ingenti totius regni, ſæpe & orbis malo faciunt. *Erasm. de Inſtit. Princ.*

CAPVT. XXVII.

De conſeruanda Principi auctoritate.

AVCTORITATEM & his modis conſeruabit Princeps, ſi nimirum ſemper circa res magnas verſetur. Tempus enim conterere in muſcis figendis, vt Domitianus; in lucernis fabricādis, vt Eropus Maced. rex; in ſimula- *Sueton.* *Cuſpinianus.*

Ioseph. libr. 12. cap. 2. antiquit.

chris cæra limove fingendis, vt Valentinianus; aliisque mechanicis, vt Ptolemæus Philadelphus, rex Ægypti, aliiq; contemptum parit. Noui ego nonnullos Principes, qui tornare, dolare, ac alia id genus manibus facere; & quæ Principis propria sunt, negligere consueuerunt. Scitum est illud Virgilii:

Tu regere Imperio populos, Romane, memento,
Parcere subiectis, & debellare superbos:
Hæ tibi erunt artes, paciq; imponere nomē.

Scite Demosthenes. quum enim simul cum Æschine & Philocrate ad Philippum legatus fuisset, & illi Philippum egregie laudarent, quod multum dicendi artificio valeret, quod forma & specie decorus esset, & quod festiuus conuiuator, plurimum vini sane iucunde biberet: *Prima*, inquit Demosthenes, *laus, Sophistarum: secunda, mulierum: tertia, in spongiam quadrat.* Nullam vir prudens in istis laudibus Regis propriam a-

Osor. lib. 7.

gnoscebat. Cum enim Rex vrbium conditor, ciuium moderator, legum custos, publicæque salutis & incolumitatis architectus sit, circa ea demum versari illum

lum conuenit quæ Principatum opibus florentem, viribus firmum, virtute honeſtum, & ſapientiæ inſtitutis egregie conſtitutum reddunt. De venatione ſcio, Xenophontem (quem Atticã muſam nuncupant) eam ſummopere Principibus commendare, quod per hanc bello ſtrenui, cæteriſque rebus idonei fiant, bene & dicere & facere inſtituantur: ſed hæc intelligenda, ſi cum moderatione fiant, vt interim & Princeps nihil eorum negligat, quæ ad adminiſtrandam Rempublicam, & Imperii commoda pertinent, & ſubditi non opprimantur: alioquin non contemptus tantum, ſed odium exſpectandum. De Barnaba, Vicecomite ſcribunt, eum tãto venationis ſtudio detentum, vt lege promulgata inquiri comprehendique eos aliquando iuſſerit, qui quinquennio ante contra vetus edictum apros occidiſſent, aut ex his, vel in aliena menſa comediſſent. Diuiſerat hic per pagos venationibus opportunis multa millia canum venaticorum, cum grauiſſimo incolarum ſumptu alenda curandaque. quo facto inexpiabile populi odium in

Xenophon. *Dion in Adr.* *Iouius in Barnaba.*

ſe concitauit. Caueat igitur Princeps, in nemorum latebris totos menſes cõmorari, & ſuos interim, vel ſine adminiſtrationis pabulo relinquere, vel aliis deglubendos committere. Mithridatem Ponti regem adeo venationi intentum fuiſſe ferunt, vt interdum ſeptem annis, neque vrbis neque ruris tecto vteretur. Aſt contra Mahometes Amuratis F. aduerſus Caramanum bellum mouens, ſeptem millia virorum, qui accipitres curabant regios, iſto ex ordine deturbauit, & canum curatores milites eſſe iuſſit. Dixi, magnos Principes magna decere. Hoc addo, vt ſua non niſi magnis viris, hoc eſt, ſi non genere, virtute ſaltem & auctoritate præſtantibus, peragẽda committant. Miſerat Ludouicus XI. Gandauum ad Caroli filiam, cum litteris & mandatis Oliuarium, regium tonſorem, vt priuatim ei loqueretur, eamque ad partes Regis traheret, magnum quid: ſed quum quo tempore exponere mandata iuſſus eſt, nondum quæ dicenda erant, præcogitaſſet, re infecta diſceſſit, non absque ludibrio. Plærique enim ridebant eum & propter gene-

Volaterr. lib. 17. Ant.

Chalcocondylus lib. 7.

Phil. Commin. lib. 8.

generis obſcuritatem, & ineptum ſermonem. Atqui non tam Oliuarius (vt ſubiũgit Comminæus) quod munus iniunctum ſuſcepiſſet; quam Rex, qui iniunxiſſet, reprehendẽdus erat. Det inſuper operam, vt quæ dicit facitve, excellenter dicta factaq; videantur. Hæc & magnifica ſint. Coſmus Medices erat in priuatis quidem rebus ſuis, domeſticisque ſumptibus, naturâ & conſuetudine, minimo contentus, vtpote qui ciuili cultu vixerat, frugalique & munditiis potius referta, quam lauta menſa vteretur. At cum clari hoſpites, & præſertim aduenæ, virtute inſignes occurrerent, nullis vel maximis ſumptibus parcendum putabat. Alphonſus rex eos qui apud ſe diuertiſſent, & ſplendide excipiebat, & donis magnificentiſſime proſequebatur, pro cuiusque dignitate. Certum eſt, magnificentiam omnium in admirationem trahere, auctoritatẽque conſeruare: vt & hoc, ſi non quotidie a ſuis conſpiciatur, nec ſe niſi cum maieſtate contuendum præbeat. Parit nimia familiaritas contemptum: quem ſæpe contumacia & a Principe defectio

Iouius in Leone x. libr. 1.

Pont. de liberal. lib. 1. cap. 19.

Athenæus lib. 5. cap. 4.

Plutarchus. Curt.

ſequi ſolet. Neglectus a ſuis habebatur Antiochus Epiphanes, qui in balneis popularibus ſemper lauabatur, ſed tũc, cum balnea viris popularibus plena eſſent. Alexander Magnus ob nimiam familiaritatem, non ſolum garrulus & vinolẽtus a ſuis vocatus, ſed & contemptu ſuperueniente interemptus. Grauitas Principem ſumme decet, vt ſuperbia odium hominum conciliat, & odium grauiſſimum in ſe cæleſtis Numinis accendit. Sic igitur concludo, Principem ſine oſtentatione ſapientem, ſine temeritate fortem, ſine leuitate magnificum, ſine deſidia moderatum, ſine auaritiæ ſuſpicione frugalem, ſine contemptu modeſtum, ſine ſuperbia grauẽ eſſe debere. His ſententiam Saluſtii addo: *Eam conditionem eſſe imperandi, non aliter ratio conſtet, quam ſi vni reddatur.*

CAPVT XXVIII.

De nonnullis ſtabiliendi Imperii modis.

Machiauellus lib. 2. cõ‑ ment. in

AD Imperium ſtabiliendum quæri video, an propugnacula arceſque bene munitæ conducant? Nonnullis nõ conducere exiſtimantibus, illudqꝫ ſubinde

inde occinentibus, arcem munitissimã esse subditorum beneuolentiam. item illud Cleomenis, qui oppidum munitissimum intuens, exclamauit: *O muliebres latebras*. item ciuitatis robur non in mutis lapidibus, sed in ciuium virtute, qui pro aris, focis, vxore, liberisque, fama, vitaque pugnant, positum esse. Hæc eleganter quidem, sed ad speciem magis, quam ad rei veritatem dicuntur. Et si nostris temporibus Cleomenes, Agesilaus, aliique, qui propugnacula mœniaque contempserunt, viuerent, vtrumque omnino probarent, & fidem, amorem, beneuolentiam & virtutem populorum, & propugnacula arcesque bene munitas, tum vel maxime propter nimium tormentorum impetum. Olim certamen circa virtutem solam erat; hodie aliter. Prosunt oppida bene munita ad arcendos hostes, & subditos compescendos, & in officio detinendos. Quemadmodum enim armati milites hosti terrorem incutiunt; sic arces vrbesque munitæ: & quemadmodum inermes latronibus animum aliquid audendi incutiunt; sic vrbes non

Liu. cap. 24. Plutarchus.

Bod. libr. 5. cap. 5.

munitæ ſubditis illecebræ ſunt, faciendi quod libuerit, etiam contra Principem. Aduerſus propugnacula in vrbibus præcipue collocata (*citadellas* hodie vocant) vix quicquã audent ciues. Hac ratione multi, vt Neapolitani, Metenſes, Mediolanẽſes, aliiq; arcib⁹ munitiſſimis in officio detinentur. Habeat igitur Princeps noſter propugnacula nõ ſolũ in Imperio, eiusq; finibus, ſed & extra Imperii ſui fines, mœnibus cũ graui aggere intus propter tormenta fabricatis, ac cæteris operibus ad belli molem neceſſariis. Romani certe, gentium fortiſſimi, vrbem & arcem munitiſſimam habuerunt, quæ nuper quidem Clementi VII. antea vero ſæpe Romanis profuit. Dixi, extra Imperii quoque fines propugnacula, ſi fieri poteſt, habenda. Hoc ideo, vt furores bellicos procul a nobis arceamus. Exemplum hodie videmus in inſula Melitenſi & Corfu. Quod ſi & in hoſtium territorio ſita ſint, vtiliſſima eſſe certum eſt. Id experitur Hiſpanus, qui in Turcarum ditione propugnacula multa habet, Oranum, Melilam, Pegnon de Velles, Settam, Tanger, Mazagam,

gam; Arcillam, aliaque. Sic olim Veneti Famaguſtam habebant. Omnium autem præſtantiſſima propugnacula habentur, quæ naturâ loci munita ſunt, talia ſunt; inſulæ Holandiæ Selandiæque; quæ inexpugnabiles ſunt. Dandam hîc operã moneo, vt diligentiſſime cuſtodiantur, ne vel præfectorum fraude, vel hoſtium vi aſtuve amittantur; &, ſi hoſtis ea occupet, ne aduerſus priorẽ Dominum iis vtatur. In huiuſmodi propugnaculis præſidia militaria conſtituantur, bellicisque artib⁹ exerceantur. Ad ſtabiliendum Imperium & Coloniæ faciunt. Coloniæ Romanis erant oppida, quò ciues ſuos ad incolendum deducebant; quarum deducendarum cauſſæ inter alias & hæ erant, ad priores populos coercendos; & hoſtium incurſiones reprimendas. Ideo Flaccus Colonias dictas ſcripſit, quod Pop. Rom. in ea municipia colonos miſiſſet; vel ad ipſos priorum municipiorum poppulos coërcendos, vel ad hoſtium incurſus repellendos. *Hoc in genere,* inquit Cicero, *ſicut in cæteris Reip. partibus, diligentia maiorum ſpectanda, qui Colonias, ſic idoneis in*

Car. Sig. de antiq. iure Ital. libr. 2. cap. 2.

Flacc. in lib. de condit. agr.

Cicero.

locis contra suspicionem periculi collocarunt, vt non oppida, sed Imperii propugnacula esse viderentur. Existimant Gallorum scriptorum nonnulli, si capta Ludouico XII. rege Insubria, quam Longobardiam vocant, eô coloniæ missæ fuissent, Insubriam in Gallorum potestate adhuc fore. Huc pertinent fœdera, quæ Imperium firmant. Ea ratione Heluetii formidabiles facti sunt. Quæ enim vni Cantonum iniuria infertur, omnibus illata videtur. Et certum, Solimannum Turcarum Imp. sæpissime in animo habuisse Venetos aggredi; sed quod videret eos cum plærisque Reipublicæ Christianæ Principibus confœderatos, destitit.

Bod. libr. 6. cap. 2.

CAPVT XXIX.

De Imperii propagandi modis, qui fiunt nostra augendo.

HIs fere modis Imperium acquiritur, conseruatur, stabilitur. Iam quibus mediis propagetur, videamus. Atque ego quidem duo reperio, nostra augendo, & aliena attrahendo. Illud fiet, si artes mechanicas promoueamus. Artes mechanicæ, pro ratione elementorum,

torum, ita diuidi possunt, vt nonnullæ circa terram versentur, vt agricultura, & ars venatoria; aliæ circa aquã, vt nautica, piscatoria, &c. aliæ circa ignem, vt fabricaria; aliæ denique circa aerem, vt aucupium. Agricultura inter omnes res, ex quibus aliquid acquiritur, nihil melius, nihil vberius, nihil dulcius, nihil libero homine dignius. Agriculturam cum dico, omnia intelligo, quæ ad agrum colendum pertinent: cultura scilicet hortorum, nemorum, vinearum, arborum; cura boum, ouium, equorum, & quicquid eiuscemodi aliarum rerum ex terra productarum. Agricultura igitur fruges exarat, quibus alimur. Agricultura pecora nutrit, quæ non solum cibum nobis, sed etiam vestitum præbent. Vnde lanificium, quod includit artem texendi, suendi & quæcumq; ex lino, lana, serico, pellibus, pilo, vimine, iunco, & id genus aliis manu, acu, fuso, fibula, rotula, &c, fiunt. Ex agris item bene cultis oleum, vinum, & varios fructus, qui non modo ad necessarium victum, sed etiam ad naturæ delicias referuntur, excipimus. Recte itaque ille,

Zvvingerus.

Cic. De offic.

Varro De re rust. libr. 1. cap. 4.

Omnes naturæ opes, quibus communis omnium vita sustentatur, telluris diligentissimo cultu contineri dixit, quæ multiplicato cum
Ofor. libr. 7. *fœnore reddit.* Si igitur Princeps Imperium suum ex sterili fertile, ex fertili fertilius reddere vult, partim præmiis, fauoribus & immunitatibus inuitabit, partim pœnis coget agrorum dominos, omnesque agricolas, vt omnem regionẽ diligenti curâ fructuosiorem reddant. Nulla enim ars locupletandæ Reipubl. vtilior, addo & honestior. Nullâ profecto re Cyrus maior, magis gloriatur, quã de agris suò labore ac industriâ consitis.
Alex. libr. 3. cap. 11. Apud Romanos tantum erat agriculturę studium, vt etiam agrum male colere, aut minus arare, quam vertere, censoriâ notâ dignũ haberetur. Octo itaq; dies culturæ agrorum Veteres impendebant, nonum vrbanis rebus & nundi-
Spartian. nis. Pertinax Imp. quicquid inculti soli vacabat, occupantibus adiudicabat; de-
Herodian. cemq; annorum immunitatem, ac perpetuam libertatem agricolis concessit. Eâdem ratione Massinissa Numidiam ex inculta & deserta, omnium fructuum abundãtissimam reddidit. De venatoria ar-

riâ arte, piſcatoria, aucupioque, Principi aliquid inculcare ſuperfluum. Id attigi paullo ante. Nauticam quod attinet, certum eſt non vtilem tantum, ſed neceſſariam eſſe. Vix credibile eſt, quãtum maritimis illis ſubuectionibus regna diteſcant. Vnde aromata, gemmæ, aliæque innumeræ merces? Vt alias quã plures commoditates taceam. Supra fidem eſſet narrare, quæ vis nauium Venetarum non Italiæ ſolum, ſed Liburniæ quoque, Dalmatiæ, Macedoniæ, ac totius Græciæ litora, velut ſuburbana quædam loca aſſidue ſcrutentur. Ex his quatuor longæ naues, ex Syria atque Ægypto totidem aromata, ſericum, gemmas, vniones, Venetias deferunt. Ex Libya tres, aurum, gemmas & mancipia. Duæ ex interna Gallici maris ora pretioſiſſimum vellus, & Hiſpanicum ſericum, omnium longe nobiliſſimum. Quatuor a Tanai, & Mæotide palude, ſalſamẽta, tapetas & ſmaragdos. Ac pręter eum numerum, quatuor ex Gallici Oceani Emporiis lanas, aurum, aulæa, & Flandrenſis panni vim omnino ingẽtem. Harum vtilitatum nonnullæ & in

Sabell. lib. 3. dec. 4.

fluminibus sunt; quæ deriuare in principatum, summæ sæpe vtilitati fuit. Sub artem fabrilem voco non solum fabros ferrarios, lignarios, plaustrarios, ahenarios, cultrarios, ephippiopœos, sartores, textores, calceolarios, coriarios; sed etiã pistores, doliarios, seu vietores, pharmacopolas, textores, lanios, pannicularios, zonarios, tonsores, flammarios, & quicquid istorum artificum est, quorum industriâ atq; operâ, ciuitatis corpus constituitur. De Toletana ciuitate scribunt, in ea, duobus istis opificiis, lanæ scilicet & serici, hominum millia decem ad minimum viuere. Idem de Mediolano, Venetiis, Genua, Florentia dici potest.

CAPVT XXX.

De mercatura, architectura, pictura, & Academiarum institutione.

SEQVITVR ex his, etiam artes commutatrices, quę Remp. opulentã reddunt, Principem fouere debere: Mercatorum ope, non solum res patriæ vtiles in Imperium, eorum periculo conuehuntur, sed multa etiam quibus Imperium redundat, in alias regiones, ab illis

illis cum vtilitate publica deferuntur. Multi etiam repentini casus incidunt, in quibus mercatorum opibus sæpenumero non leuia pericula propulsantur: immo eorum quoque fide & industria, non mediocria Reipubl. munera sustinentur. neque vulgaris prudentia ab illis ex hominum externorum commercio & familiaritate comparatur. Scribit Plutarchus, Solonis tempore mercaturam in precio fuisse; rationemque hanc addit, quod commoda ex regionibus Barbaris adsciscceret, amicitias cum Regibus conciliaret, & multarum rerum conferret peritiam. Tanta nimirum est mercaturæ vis, vt adempta mercandi facultate (quod aliquando in Neapolitanorum regno factum legimus) prouinciales continuo ad inopiam redigantur. Verum & hîc cauendum, ne ex vtilissima hac negociatione, iniquitatis officina & auaritiæ conciliabulum fiat, nō modo in ipsis mercatoribus detestabile, sed & Reipub. detrimentosum. Seuere igitur in insidiosa illa, totiesque Principum constitutionibus prohibita, monopolia exercentes, qui & fiscum Prin-

Osor. libr. 7.

Plutarchus in Sol.

Pont. cap. 45. de liberalit.

cipis fraudantes, pauperum sudoribus pascuntur, animaduertendum. Elegãter vereque Ambrosius: *O mercator sæculi, comparator inferni, cur in fraudem & deceptionem conuertis naturæ industriam? cur affectas rerum defectus? cur optas pauperibus sterilitatem, vt domui tuæ compares dolosam fœcunditatem? Etenim lucrum tuum, multorum est damnum.* De Architectura nihil dixi. Hanc enim, vt & picturam, inter artes liberales numerandam censeo. *Architectura*, inquit Vitruuius, *est scientia, pluribus disciplinis & variis eruditionibus ornata, cuius iudicio probantur omnia, quæ a cæteris artibus perficiũtur opera. Ea nascitur ex fabrica & ratiocinatione. Fabrica, est continuata ac trita vsus meditatio, quæ manibus perficitur, e materia cuiuscumque generis, ad propositum deformationis. Ratiocinatio autem est, quæ res fabricatas solertiâ ac ratione proportionis demonstrare atque explicare potest.* Vt igitur neque sine litterarum cognitione ad experiẽtiam tantum; sic nec sine exercitatione, solis ratiocinationibus ac litteris confisus, nemo Architectus esse potest. Vtrumque igitur coniungat necesse est.

Ambros. de Off. 1.

Vitru. 1. de Arch. 1.

Maxi-

Maxime autem ipsi necessariȩ erunt (vt hoc obiter moneam) pictura, geometria, optice perspectiua, arithmetica, historiaq;. Pluribus hæc persequor, quia Reipubl. intereſt, ne ciues ædificiis prędiisque parum conuenienter extructis, immodicos sumptus facere sine ratione cogantur; vt omittam (quod præcipuũ eſt) ſtructionis, hoc eſt, architecturę decoro non obſeruato, totam vrbem Imperiumque deformari. Veſpaſianus certe Imp. Architectos præſtantes coëmit; Coloſſi refectorem inſigni cõgiario magnaque mercede donauit: mechanico quoque, grandes columnas exigua impenſa perducturum in Capitolium pollicenti, præmium pro commento non mediocre obtulit, operam remiſit, præfatus, ſineret ſe plebeculam paſcere. Idem de Auguſto, C. Pompeio, aliisque dici poſſet. *Suetonius.*

Academias porro (de quibus primo loco dicendum erat) reſpublicas, ſummopere iuuentute excolenda ornare, & augere ſolere, non dubium eſt. Academia eſt gymnaſium litteris, id eſt, cũ linguis, artibus & ſcientiis Philoſophiæ, *Iun. in Acad. cap. 3.*

tum summis illis facultatibus certo ordine & modo tradendis institutum, sanctisq; prærogatiuis & priuilegiis instructum, iusta auctoritate, publica ciuili & Ecclesiastica. Athenæ felices armis, sed feliciores litteris fuerunt. Scribit Corn. Tacitus, nobilissimum quemq; ex Romanis, pro Attica peregrinatione Massiliam ad ingenii cultum proficisci solitos. Inde factum, vt summorum Principum plærique, Academias in præclarioribus Imperii sui vrbibus instituerint: vt Carolus Magnus Lutetiæ, Fridericus II. Imp. Bononiæ, Neapoli, Veronæ, &c. Alphonsus quoque nonus Hispan. rex, sapientes e Gallia & Italia conuocauit, vt sapientiæ disciplina a Regno suo numquam abesset; & magistros omnium facultatum Valentiæ congregauit, quibus & magna stipendia largitus est, vt cuilibet studere cupienti, quasi manna in os influeret sapientia cuiuslibet facultatis. Laurentius Medices Petri F. Reip. Florentinæ Princeps, liberalium artium instaurandarum curam suscepit, Pisis, opportuna maxime ciuitate, quo plures suo beneficio comprehenderet, Gy-

Tacitus.

R. Tolet. rer. Hispan. 7. cap. 34.

Brutus lib. 8. Florent. hist. Iou. in vita Leon.

Gymnaſio conſtituto, ac claris hominibus ſapientiæ ſtudio, amplis præmiis excitatis, qui Iuris ciuilis prudentiam & Philoſophiam ac cæteras liberales artes profiterentur. Itaque nobiliſſimam quōdam vrbem, ad ſolatium veteris amiſſæ libertatis, nouo decore ac externæ iuuentutis frequētia recreauit. Quādiu Lutetiana Academia florebat, iuuentutis concurſus vndique magnus fiebat. Sed poſt excitatum ſub Ludouico tumultum, ſolitudo Lutetiæ manſit. nam aliquot millia in Angliam profecti ſunt, alii aliô ſe contulerunt: donec a ſapientiſſimo Rege, propoſita honorum, vacationum, emolumentorum ſpe, reuocarentur. tunc Regia vrbs priſtinam frequentiam recuperauit.

CAPVT XXXI.

De Connubiorum vtilitate.

AD rem vt veniamus, quia familiæ, collegia, cœtus, ciuitatesq; omnes, ac totum genus humanum interiret, niſi connubiis propagaretur: ideo plæraſque gentes legimus, quibus curæ fuit Imperii fines proferre, in id ſumme ani-

mum induxiſſe, vt hominibus replerent & popularent ciuitates. Hinc a Cadmo per manus acceptum ius Aſyli; hinc leges tutelares, quibus peregrinos Romę fouebant: vt iam olim Athenis, Epheſi, Thebis, Troiæque. Nec ſolum hoc priſcis alienigenas adſciſcendi, aſcitos receptosque fouendi in ſinu ciuitatis; ſed etiam in ciues ſuos ciuitatem vrbem replentibus, honores ampliſſimos conferendi, priuilegia tribuendi, immunitates concedendi: vt contra cœlibes, tamquam Reipublic. deſtructores, puniendi ſtudium fuit. Apud Spartanos cœlibes, a virginum nudarum certantium ſpectaculo arcebantur. Brumâ etiam, Magiſtratuum edicto, cogebantur nudi forum obire, cantilenamque in ſe cõpoſitam concinere, merito ſcilicet ſe ita puniri, quod non parérẽt legibus. Præterea, honoris erant & obſeruantiæ, quã ſenioribus iuuenes præſtabant, expertes. Quare quod exprobratum Dercillidæ fuit, quamuis inclyto duci, nemo reprehendit. Cui interuenienti, nõ ceſſit adoleſcens ſubſellio: *Neque enim* (inquiens) *eum qui mihi ceſſurus ſit, ſuſtuliſti.* Cle-

Plato lib. 4. & 6. de legibus.

Plut. in Lycurgo.

Clearchus Solensis scribit in libro Prouerbiorum, eos qui Lacedæmone vxores nō haberent, a mulieribus per quoddam festum circa aram tractos, alapis cędi solitos: vt scilicet ignominiam hanc fugientes, liberorum amore capi, ac iusta ætate vxores ducere discerent. Ideo & lex Iulia de maritandis ordinibus lata est; quam Augustus Cæsar, ex Metelli censoris oratione de prole augenda, in Senatu recitauit. Hac, vxores ducere, omnes omnino coacti sunt; ne orbitas in vrbe præualeret, sed potius vt fortiores Imperii vires, hominum adiectione fierent, & vagi concubitus impuræque libidines reprimerentur. Sed & educatio plurimum prodest. Etenim vt gypsum aut argilla in quamuis imaginem facile sequitur fingentis manū: ita subditorum rudes animi ad omnem disciplinam bona educatione cōformantur. Qui Carthaginiensem Africæ agrum incolunt, dum bene educarentur, de totius orbis imperio cum Romanis certare ausi sunt: postquam autem rectam educationem negligere, & musica dulcedine capi cœperunt, fæminis viliores fa-

Athen. libr. 13. cap. 1.

Suetonius.

Plinius libr. 36. cap. 24.

cti sunt. Nonne, vt alios omittam, nuper Petrus Nauarrensis nauibus quatuordecim in Africam delatus, Bugitanos omnes cum Rege fugauit? Ægyptus olim numero hominum, omnes fere orbis gentes superauit. Oppida insignia vrbesque priscis temporibus vltra decem octo millia habuisse, libri sacri continent. Ptolemæi Lagi tempore, amplius tria millia annumerata sunt. Vniuersi populi numerum fuisse antiquitus septies decies centena millia. Caussam frequentiæ huius adfert Diodorus hãc, quod filiorum educatio minimo illis cõstet, propter frugalitatem victus & amictus; quos radicibus & caulibus palustribus alunt, & discalceatos nudosque incedere cogunt, ita vt omnes sumptus in puerum, quoad adolescat, non excedãt drachmas viginti. Huc accedit Principis liberalitas, quæ multum ad propagationem proderit. Ideo Cocceius Nerua, puellas puerosque natis parentibus egestuosis, sumptu publico per Italiã ali iussit. Sic Adrianus pueris & puellis, quibus etiam Traianus alimenta detulerat, incremẽtum liberalitatis adiecit. Senatori-

Diod. lib. 1. cap. 3. & cap. 6.

toribus, qui non vitio ſuo decoxerant, patrimonium pro liberorum modo Senatoriæ profeſſionis expleuit, ita vt plærisque in diem vitæ ſuæ dimenſum ſine dilatione reſtituerit. Hoc in loco, ad vrbium quoq; ſalubritatem reſpiciendum eſt. Quid prodeſt vrbi Conſtantinopolitanæ tanta hominum frequẽtia, ſi tertio quoque anno, morbo illo contagioſo deſerta ſit? Eiuſmodi autẽ morbi cum ab anguſtia ædificiorum, immũditia, ſordibus aëreque corrupto proficiſcantur, hiſce obuiandum eſt. In Leſbo apud Mitylenem Auſtro flante, aiunt homines ægrotare, Coro autẽ tuſſire; a Septentrione in integrum facile reſtitui. Verum frigore vrgente, in angiportis plateisve eos conſiſtere non poſſe. Ratio eſt, quia parum prudenter poſitum oppidum eſt, magnifice aliâs exſtructum. In quod vitium ne delabi inter ædificandum Athenienſes poſſent, Andronici cura Octogonos excitata turris eſt, marmorea, collocata in lateribus ſingulis venti imagine contra ſuum cuiusque flatum. In turris demum vertice metallis præſto erant prominẽ-

Ælius Spart.

Cæl. Rhod. libr. 20. cap. 18. antiq. lect.

tia, superincumbente Tritone æneo; dextra virgam intendente, quæ flantis venti imaginem indicaret: nam ita libratus stabat Triton, vt circumagentem perpetuo spectaret ventum. Nouum quid illo tempore, nostris autem temporibus vsitatum.

CAPVT XXXII.

De Coloniis.

Plutarch. in Coriol. Dionys. libr. 7.

DVAS deducendarum coloniarum caussas supra attulimus. Sed & aliæ sunt. Abundante enim multitudine, vel propter inopiam agrorum, aut aeris intemperiem, coloniæ plebis vrbanæ exhauriendæ, vt & seditionis aliquando sedandæ caussa deducebantur. Ideo Senatus P. Q. R. Antium coloniam decreuit, vt sine querelis possessorũ, plebs in agros iret, ciuitas vero in concordia esset. Quapropter Cicero se de lege Agraria, quæ promulgabatur, ita censuisse scribit, vt agrorum diuisione constituta, sentina vrbis exhauriretur, & Italiæ solitudo frequentaretur. Deduci olim coloniæ idcirco sunt solitæ, vt veterani milites, prœliorum diuturnitate pressi, præmium aliquod aliquando caperent labo-

Liuius lib. 3.

laborum suorum. Sic L. Sullam, C. Cæsarem, M. Antonium, M. Lepidum, C. Octauium, aliosque, parta victoria, inimicorum suorum agros militibus per quos vicerant, diuisisse, litteris proditum est. Inter alias autem caussas & hæc erat, vt stirps augeretur Romana. Meminerunt, inquit Liuius, se Romanos, mox oriundos, inde in colonias, atque in agrum bello captum, stirpis augendæ caussa missos, omnia quę parentibus debentur, præstare debere. His modis Imperium illud tam longe lateque propagatum. Ferunt Sabinos, cum difficile bellum aduersus Vmbros gererent, omnia eo anno nata, si vincere daretur, vouisse. Cuius voti haud multo post damnati, nata partim sacrificarunt; pueros Marti consecrasse contenti, adultos in colonias miserunt. Hi in Opicorum agro, veteribus inde incolis bello eiectis, sibi sedes quęsiuêre: quorum opes adeo deinceps creuerunt, vt octoginta millia peditum, & octo equitum aliquando ad bellum instruxerint. De Romanis scribit Asconius, eos amplius 53. colonias in Italia deductas habuisse. Extra Italiam

Appianus.

Liuius.

Asconius.

Plinius. Plinius multo plures enumerat. Ad horum exemplum Genuenses in Tauricam Chersonesum coloniam Theodosiam, quę Capha dicitur; Hispani in insulas Hispanicas & Philippinas, Americam & Indiam; Lusitani in Maderam & Caput viride; Veneti in Insulas, colonias deduxêre. Phœnices per Oceanum mare iuxta Libyam nauigantes, complures dies tempestatibus acti, cum ad Insulam permagnam delati essent, animaduersa eius natura felicitateque, notam cæteris fecêre. Qua ex caussa cum Tyrrheni, qui classe potentes erant, in eam Insulam coloniam mittere decreuissent, a Carthaginiensibus sunt prohibiti. verebantur enim, ne loci bonitate allecti ciues eorum, ad eam se conferrent. &, si qua forsan aduersa fortuna vrbi incidisset, volebant ignotum, ad quẽ facile confugerent, locum esse. Duo hîc notanda sunt: alterum, Romanos non optimates, sed infimæ plebis homines in colonias fere misisse; alterum, colonias non nimis remotas, sed potius Imperio Romano vicinas fuisse.

Diod. libr. 5. cap. 7.

CA-

CAPVT XXXIII.

De Imperii propagandi modis, qui fiunt aliena attrahendo.

SEQVITVR quibus modis, aliena adtrahendo, Imperium proferri possit, quos varios fuisse olim reperio; impertiendo scilicet (vt hinc ordiar) ius ciuitatis aut singulis, aut vniuersis. Vniuersis, si aut Romam commigrarent, aut in patria sua manerent: quorum primi & secundi, ciues Romani; tertii, proprio municipum nomine signati sunt; Municipes cô dicti, quod ius adepti essent cum pop. Romano iura capiendi. Cl. Cæsar multas barbaras gentes ciuitate donauit Romana, dicens nihil magis fuisse Lacedæmoniis & Atheniensibus (apud quos Pericles legem tulit, vt his solis ciuitas daretur, qui vtroque parente Atheniensi ciue, nati forent) exitio, quã quod in societatem ciuitatis numquam recepissent, quos armis vicissent. Mox sub Hispanis, & Afris, & Thracibus, & aliarum nationum Cæsaribus, paullatim integræ prouinciæ, ciuitatis iure donatæ sunt. Et cum initio reliqui omnes, præter Græcos, dicerentur Barbari, et-

Carol. Sig. de antiq. iure Ital. lib. 2. cap. 6.

Vlpianus.

Sigon. lib. 1. cap. 2.

iam Romani ipsi domini pòst, & Latini & Itali ea sunt nota exempti, donatis prouinciis omnibus ciuitate. *Inconsulte,* (inquit Cicero) *qui peregrinos vrbibus vti prohibent, eosque exterminant, vt Pennus apud patres nostros.* Hanc propagandi rationem etiam Veneti intellexerunt, qui in Vrbis quadam vastitate, edictum proposuerunt, vt quicumq; hominum Venetias cum cõiuge & liberis peterẽt, habitandi caussa, perseuerarentque biennio in nouo incolatu, pro ciuibus haberentur. Iuri ciuitatis persimilia sunt iura amicitiæ & societatis, qua se populus Romanus, exempli gratia, cum exteris obstringebat, pactione scilicet nuda, & fœdere: vt *quæcumque ciuitas* (inquit Cicero) *nobiscum maxima societate, amicitia, sponsione, pactione, fœdere coniuncta est; ita maxime communione beneficiorum & præmiorum cõtineri.* Fœderatorum porro duo sunt genera: alterum eorum, qui auxilia mutua paciscũtur, si ab hostibus lacessiti fuerint; alterum eorum, qui etiam mutuas opes & copias ad sociorum hostes inuadendos promittunt; idque vel exceptis quibusdã, vel sine vllius excepti-

Lib. 3. De off.

Sabell. lib. 8. Enn. 9.

Bod. libr. 5. cap. 6.

ceptione. Omniũ autem arctiſſima ſocietas eſt, cum eoſdem hoſtes, & eoſdem cum ſociis amicos habemus. Metellus Antiochi regis legatus tria fœderum genera apud Liuium ponit: vnum, cum bello victis darentur leges (vbi enim omnia ei qui armis plus poſſet, dedita eſſent, quæ ex iis habere victos, quibus multari velit, ipſius ius arbitriumque eſſe:) alterum, cum bello pares æquo fœdere in pacem atque amicitiam venirent: (tunc enim repeti reddique per conuentionem res; &, ſi quarum bello turbata poſſeſſio ſit, eas aut ex formula iuris antiqui, aut ex partis vtriusque cõmodo componi) tertium, cum qui hoſtes numquam fuerint, ad amicitiam ſociali fœdere inter ſe iungendam coeunt. hi neque dicunt, neque accipiunt leges. id enim victoris victique eſt. In clientelam quoque Principes vrbesque accipere, propagandi Imperii modus. Clientela inter Principes nihil aliud eſt, quam fœderata conſociatio, qua quidẽ alter alterius maieſtatem obſeruare tenetur, vt ab iniuria potentiorum tutior eſſe poſſit. Hac ratione Turcarum Imp.

Liuius.

Bod. libr. 1. cap. 7.

fines Imperii sui mirum in modum protulit. Tartarorum enim, Præcopitum, Georgianorum, aliorumque patrocinio accepto, iis non secus ac suis, in Imperio dilatando vsus est. Caueant autẽ sibi Principes, vrbes, prouinciæ, quæ se alteri in clientelam dant, ne libertatem amittant. Ioannes Vngariæ rex, Turcarum accepto patrocinio, regnũ in seruitutem tradidit. Eâdem ratione Constantiam, Traiectum ad Mosam, Cameracum, Viennam Austriæ, Metenses, Tullos, Viridomos libertatem amisisse legimus. Scoti, Anglorum quidem ante aliquot annos patrocinium receperunt; sed & si obsides darentur, prouiderunt, quos sexto quoque mense renouare liceret. nec arcem vllam Anglis concedere voluerunt. Beneficiis quoque Reges, Principes, Resque publicas deuinciẽdo, Principatus fines aliquando propagantur. Liberalis populus Romanus, magnitudine muneris, quod Attalo regi Asiã reddidit. Sed Attalus etiam testamenti æquitate gratus, Asiam populo Rom. legauit. Itaque neque huius munificentia, nec illius tam me-

Bod. libr. 5 cap. 6.

Buchan.

Val. libr. 5. cap. 2.

memor beneficii animus tot verbis laudari poteſt, quot amiſſæ ciuitates vel amice datæ, vel pie redditæ ſunt. Idem ob Antiochum finibus ſuis pulſum, legatis Romam miſſis, qui Patribus gratias agerent, coronam auream 246. pondo, in Capitolio ponendã curauit. Zelomiro Dalmatarum rege, absque liberis mortuo, vxor ſucceſſit; quæ fratrem Ladislaum, Vngariæ regem, a quo contra ſeditioſos protecta fuerat, heredem inſtituit. Ex eo tempore Dalmatia, & Croatia, Vngaris parêre cœperũt. Heldobenſem ducem ſenem, adoleſcens filius in ordinem redegerat, iuraque popularibus dabat. Carolus autem Burgundus, Princeps potentiſſ. adoleſcente pulſo, Imperium ſeni reſtituit. ab eo ob id meritum heres inſtituitur, ex herede filio. Adriatici ſinus Imperium ab Alexandro IV. P. R. Venetis, quod armis, virtute, ſumptibus maximis eam nauigationem a Saracenis atque prædonibus defendiſſent, ſecuramque reddidiſſent, ampliſſimis priuilegiis conceſſum fuit.

Eutrop. libr. 4.

Bonfin. libr. 4. dec. 2.

Ph. Cõmin.

Æmil. libr. 10.

Guicciard. lib. 8.

CAPVT XXXIV.

De aliis nonnullis Imperii propagandi modis.

MVlti quoq; Principes reperiuntur, qui affinitate cũ potẽtioribus quęsita, Imperium ſuum propagarunt. Sed vt de Tarquinio, Theodoſio iuniore, Romano Argyropolo, aliiſque nihil dicam, familiam vnicam, Auſtriacam ſcilicet, Lectori ob oculos pono, quæ Galliam Belgicam, Hiſpaniam, Luſitaniam, aliaque potentiſſima regna, dotis nomine accepit. Sed & nuper Vicecomitem Turonenſem, Duce Bullioniæ in matrimonium ductâ, Principatu illo auctum vidimus. Notum eſt illud M. Aurelii Imp. qui cum vxoris impudicæ libidines nimis patienter ferret, amicis repudium ſæpe conſulentibus, reſpondit, dotem prius reddi oportere. quippe Imperio Rom. quaſi iure dotali vti frui videbatur, cũ Fauſtinam Imp. Antonini filiam duxiſſet. Adoptione quoque Imperium adipiſcimur, augemusve. Sic Iulius Cæſar Octauium, Tiberius Caligulam, Claudius Neronem, Galba Piſonem, Nerua Traianum, Traianus

Francisc. Taratta de reg. Hisp.

Suetonius. Vopiſcus. Procopius.

nus Adrianum, Adrianus Antoninum Pium, Diocletianum, Galerius Maximinum, Iustinus Iustinianũ adoptauit. Eâdem ratione Ericus ex Pomeraniæ Duce, in Regem Daniæ, Sueciæ & Noruegiæ, Margaritæ reginæ iam senescentis adoptione prouectus est. Et Andium Dux Ludouicus, a Iohanna regina Neapolitanum regnum adoptione accepit. Huc pertinet emptio vicinorum Principatuum, vt & oppignoratio. Philippus Valesius Delphinatum, quadraginta millibus aureorum; Beroënsem ducatum, sexaginta millibus oppignoratum habuit. Multi quoq; pignori Principatus acceperunt, & lege commissoria pignoris retinuerunt. Poloni, regni sui fines, peregrinorum Regum electione protulerunt. Ita nempe, Iagellonicâ familiâ extinctâ, Littuaniam, aliosq; Ducatus obtinuerunt. Immo apud ipsos S. C. esse aiunt, quo ciuibus via ad Regnum præcluditur. De Mercatura hîc quæri video, an ea Principem deceat. Nam Cicero: *Si tenuis est*, inquit, *mercatura, sordida putanda est; si magna & copiosa, multa vndique apportans multaq; sine va-*

Crantz. lib. 10. Sax. cap. 26. & lib. 8. Daniæ. c. 1.
Anton. Flor. chron. tit. 22.
Bodin.
Cic. lib. 1. de Offic.

nitate impartiens, non est admodum vituperanda; atque etiam si satiata quæstu, vel contenta potius, vt sæpe ex alto in portum, ex portu ipso se in agros, possessionesque contulerit, videtur iure optimo posse laudari. Ideo complures Principes legimus olei, frumenti, alorumque mercaturam exercuisse; vt Alphonsum Neapolitanorum regem. Lusitani vero reges, Lisbona regia vrbe, mari ad remotas illas partes miserunt; & cum Calicutio, & aliorum locorum Regibus in Indico mari societate contractâ, deinde paullatim ad interiora loca penetrantes, arcibusq; temporis progressu in opportunis locis exstructis, & nonnullis eius regionis fœdere sibi adiunctis, aliis vero armis, Imperio suo parére coactis, aromatum, quę antea Alexadrini mercatores habere solebant, negociationem in se transtulerunt; eaque mari in Lusitaniam vehentes ad eadem loca, ad quæ Veneti mittere solebant, nauibus ipsi suis mittunt. Hac ratione opibus incredibilibus Regnũ auxerunt. Hęc quamuis ita se habeant, putarem tamen non solum Reges, sed ne Nobiles quidem, nisi certis casi-

Iouius.

Osorius.

Sabell. 19. in Suppl.

casibus, decere. *Multa* (ait Seneca) *quæ summam vtilitatem aliis adferunt, precio gratiam perdunt. Mercator vrbibus prodest, medicus ægris, mango venalibus: sed omnes isti, quia ad alienum commodum pro suo veniunt, non obligant eos quibus prosunt. Non est beneficium quod in quæstum mittitur: Hoc dabo, hoc recipiam, auctio est.* Notum est illud Theophili Imp. qui cum aliquando Augustæ nauem ex mercatura reductam intellexisset, nautis quicquid sarcinarum in naui haberent, id statim efferri iussit, & nihil quod ad Augustam pertineret, attingere. quo facto, pulsis inde nautis, Græco igni iniecto, nauem cum ipsis sarcinis cremauit, Imperatricem maledictis insectatus. *Nam cum me Deus* (inquit) *Imperatorem designârit, tu me mercatorem facere contendis. Scito autem, mercaturam priuatis hominibus esse cõcessam, vt eà tolerandæ vitæ modos habeant. quod si nos, præter Imperii opes, etiam mercaturæ emolumenta interceperimus, vndenam subditi victum comparabunt?* Apparet hinc, Principem, mercatores quidẽ fouere; at ipsum mercaturam exercere non debere: nisi in Regnum a priuatis

Lib. 4. de benefic.

Zonaras tomo 3.

mercaturæ aliquod genus excellens introduci non posset sine Principis operâ. alter casus, nisi in euidentissimam solamque subditorum vtilitatem redundet. Hac ratione Veneti nauibus suis annonam sustinent. Aduertendum hîc est, inter genera mercaturæ nullum sordidius & damnosius esse, quam honorum magistratuumque mercatura. Pessime Theodosius Imp. qui magistratus, vt prouinciarum præfecturas, quibusuis accedentibus venales exponebat, nulla prorsus existimationis, aut honestæ vitæ ratione habita; sed eum iudicans idoneum, qui auri vel argenti maiorē summam adferret. Tunc argentarios, nummularios, aliosque professiones in foro fœdissimas obire solitos, magistratuum etiam precipuorum insignibus ornatos, videre licebat. Optime contra Alexander Seuerus, qui nullos vmquam gladii honores passus est vendi. nam *necesse est*, inquiebat, *vt qui emit, vendat. Ego non patiar mercatores potestatum: quos si patiar, damnare non possum. Erubesco .n. punire illum hominem, qui emit & vendit.* Hanc mercaturam in Galliam, maximo tanti

Zosimus lib. 4.

Ælius Lamprid. in Seuero.

Re-

Regni malo, introduxit Ludouic' Rex. *Bod. lib. 6.*
At hi fere propagãdi Imperii modi sunt. Vbi tenendum, propagandi Imperii desiderium sæpissime Rebuspubl. nocuisse: vt contra, Rerumpubl. quæ suo proprio Imperio contentæ fuerunt, status diuturnior fuit. Id in Heluetiis videmus; qui præclare Imperium tuentur, quod propagãdi eius nullam curam gerant. Idem de Venetis hodie, aliisque dici posset.

CAPVT VLTIMVM.

De interitu Imperiorum: &, an conuersiones istæ prauideri possint.

QVAMVIS ex iam dictis, quilibet, quænam Principatus conuersionũ caussæ sint, colligere possit: nihilominus tamen, vt Lectoris industriam adiuuem, de Rerumpublicarum interitu aliquid addã. Sciendum autem est, Respublicas, non secus ac homines, suam habere infantiam, pueritiam, adolescẽtiam, iuuentutem, ætatem mediam, quæ ætas consistendi dicitur, & senectutem: id est, ortum, incrementum, statum, conuersionem, occasum. Et quẽadmodum homini variæ accidunt mu-

tationes, pro ratione temperamenti, educationis, alimentorũq;: sic & Rebuspubl. ab amicis, ab hostibus, a subditis, & ab vtrisque simul. Postremo, quemadmodum mortes hominibus ab externo vel interno malo, vel vtroque simul proueniunt: sic & Rebuspub. Queadmodum non senes solum, sed & adolescentes, pueri & infantes moriuntur: ita Principatus quoque non tantum absoluti & confecti, sed etiam qui inchoantur adhuc, & informantur sæpe interire solent. Quemadmodum (inquam) corpora nostra cernimus, alia externa ferri impulsione, ictuque peruerti; alia, intestina humorũ dissensione interire; pauca quædam, naturali confecta senio cõtabescere: sic ciuitates, partim hostilibus armis afflictas; partim domestico seditionis morbo, quasi occulto quodam veneno, ante senectutis maturitatem, licet intueri. Interna Rerumpubl. mala, sunt ciuiles discordiæ, de quibus satis antea dictum; quæ ex iniuria, honore, metu, contemptu, nimiis paucorum opibus, nimia multorum inopia proueniunt. Richardus II. Anglorum rex,

quod

quod contra procerum &populi voluntatem, quoſdam infimæ ſortis & illaudatæ famæ, rebus præfeciſſet, ab Henrico Lancaſtriæ Duce, populo expetente, captus miſere interiit. Peſſimi indicii eſt, cum harmonia illa & concentus internus perturbatur.

Nec quemquam iam ferre poteſt, Cæſar ve priorem,
Pompeius ve parem.---

Hac nimirum ratione Roma, omnium alioqui gentium victrix, velut nullum aliud amplius ſupereſſet certamen, ſuis viribus dignum, quam validę illę eſſent, in ſeipſam experiri adorta eſt: nec deſtitit, donec in ſuum concidit vulnus. Idē in Imperio Orientali accidit. Scribit Pauſanias, cum Lacedæmonii aliquando bellum ciuile capeſſerent, Achæorum ducem, 300. ſeditionum auctores eieciſſe, publicorum ſeruorum tria millia vendidiſſe, vrbis muros demolitum, puberibusque omnibus iis exercitationibus, in quibus ex Lycurgi lege verſabātur, interdixiſſe. Externa mala Rerumpublicarum ab hoſtibus proueniunt, vel vi maiore. Sic Babylon, omni-

Pauſan. in Arcadicis.

Hieronymus in Daniel.

Plinius libr. 34. cap. 2. um quas vnquam Sol aſpexit, vrbium maxima; Heliopolis, Corinthus, Tyrus, aliæque vrbes, penitus deletæ ſunt. Tripolis a Turcis expugnata: atrociſſima crudelitatis, feritatis, auaritiæ, libidinis, contemptus Numinis exempla, quæ excogitari ab vlla barbarie poſſunt, ediderunt: pauci, qui in nauibus ſtabāt, excepti, aufugerunt. In mœnia quoque furor ſæuiit: muros deiecerunt, fundamenta conuulſerunt, diſſiparunt, foſſas explêrunt, adæquarunt, ne veſtigium vllum vrbis exſtaret. Talium exemplorũ millia adduci poſſent. De vi maiore dixi; id intelligendum, cum peſte, fame, terræmotibus, terræ hiatibus, incendiis, fulmine, diluuiisq; Imperia perduntur. Anno a Roma condita trecenteſimo ſeptuageſimo ſexto, ſæuiſſimo terręmotu Achaia vniuerſa concuſſa eſt; & duæ tunc ciuitates, Ebora & Elice, abruptis locorũ hiatib⁹ deuoratæ. Tralles vrbs in Aſio campo, iuxta Mæandrũ fluuium ſita, olim quidem Pelaſgorum colonia fuit, ſub Auguſti vero Cæſaris tempora, terræ motu quaſſata eſt & ſubuerſa, nihilq; in ea integrum relictum.

Plin. lib. 2. cap. 90.

Agathias lib. 2.

Tiberii

Tiberii Cæsaris anno quinto, nocturno terræmotu tredecim Asiæ vrbes collapsæ & dirutæ sunt. Dictatore Quintio Cincinnato tanta fames Romam oppressit, vt quidam inediam non ferentes, in flumen se præcipitârint. Tanta fuit fames Athenis, cum a Sylla obsidebantur, vt tritici medimnus mille drachmis vænierit: qui emere non poterant, nascentia circa arcem gramina instar pecudum depascebantur: iumẽtis omnibus absumptis, coria vtresque decoquebant, & calceos, eisque suauiter vescebantur: nonnulli etiam excrementa comedebant, & cadauera humana. Scribit Nauclerus, temporibus Ludouici Bauari, ingentem pestilentię vim in Europa desæuiisse, quæ quampluri mas vrbes, insulas & monasteria deuastauit, ita vt in Italia propter eius sæuitiam, ad tempus aliquod ius redditum non sit. Philegiarum gens crebris fulminibus, & telluris vehemẽtissimis motibus funditus deleta est. Apud Flandros ante quadringentos annos magna nubium moles ex improuiso cælitus delapsa, multa hominum millia suffoca-

Tacit. lib. 5.

Plutarch. in Sylla.

Naucler.

Pausan. in Bœoticis.

Pont. de fortit. her. libr. 1. cap. 8.

Trithemius derebus Hirsaug. uit. De domib⁹ vrbibusq; igne consumptis, plenæ sunt historiæ. Restat, vt coronidis loco videamus, an Imperiorum interitus, aliæque conuersiones, præuideri possint. Et vt eorum opinionem silentio præteream, qui ab errãtium fixarumque stellarum vi ac potestate, ciuitatum conuersiones petendas esse putarunt, (id enim ineptius est, quam vt refelli multis debeat) dico, distinguendũ inter præcognitiones theoricas, tam naturales quam diuinas; & practicas, quæ experientiâ potissimum nituntur. Sic prudentis hominis esse dicimus, ex præsenti temporum cognitione, & ex rerum antecedentium caussis, tam priuatim quam publice, conuersiones futuras coniicere & præuidere. Id nimirũ intellexit Prometheus apud Æschilum, dum ait:

Bodin. lib. 4. cap. 2.

Polyb. lib. 6.

Æschilus.

---cuncta prænoui optime
Futura; nec futura calamitas mihi
Inopina quæquam est.---

Has practicas omnium certissimas arbitror, quamuis & ipsæ coniecturis tantũ cõstent. Si religionis cultus contemnatur, charitas frigere incipiat, &c. Theologus

logus Numinis diuini iram pręuidet: vt Politicus, qui iusticiæ vincula infringi, Principisve tyrannidem videt, vicinorum Principum potentiam, cæterosque politicos gradus non ſęruari. Pyrrhus cum ſpe lapſus potiundæ Siliciæ inde ſolueret: *Qualem*, inquit, *Romanis & Carthaginienſibus palæſtram relinquimus!* Auguſtus Germanicum Druſi filium pro concione palam Reipub. cauſſâ ſeſe adoptare iurauit, de eoque ſæpe illum Ennii verſum pronunciauit: Plut. in Reg. apoph. Sueton.

Vnus homo nobis vigilando reſtituet rem.

Cæterum Tiberii inſidiis ſublato Germanico, Auguſtus iam animam agens, digrediente Tiberio, cum quo longum & arcanum ſermonem habuerat, exclamauit: *Miſerum populum Romanum, qui ſub tam lentis maxillis edet.* Athenas a Solone accerſitus Epemenides, cũ Munichiam arcem diu contemplatus fuiſſet, dixiſſe fertur: *Quam cæci ſunt Athenienſes in prauidendis rebus futuris! ſi ſcirent, quanta hic locus mala olim daturus ſit, dentibus profecto ſuis eum eroderent, & vnguibus demolirentur.* Inter rationes autem politicas, quibus diuturnitas ſtatus præ- Diog. Laert. lib. 1.

uidetur, est, si radices & fundamenta, de quibus capitib⁹ prioribus tractatur, posuerit. Regnum Neapolitanum a Gallis partum, diu conseruari non poterat; radices enim nō egerat. Idem de Ducatu Mediolanensi dici potest. De Prophetiis non loquor hîc. Prophetia enim est visio diuina, de qua non dubitandum. Deus olim per Prophetas populum suum docebat, admonebat, obiurgabat, & futuræ felicitatis vel calamitatis certiorem faciebat. Hac ratione videmus, prophetam Naum, Niniues excidium, per diluuium & incendium, post Ionā prædixisse. Sub rege Iudæorum Nathane, idem Iudæis quoque prædixit Vrias Semeiæ F. Cariathiarimensis; vt & Hieremias, aliique. Quarum prophetiarum plena sunt sacra Biblia. Ad extremum notandum est, omnes propemodum gentes, quæ propter intolerandam vel superbiam, vel iniquitatem, vel luxum, præter alias pœnas quibus a Deo multatæ fuerunt, hanc etiam accepisse, quod securi manserint, artesq; liberales & militares abiecerint, & se deliciis corrumpi & effœminari permiserint.

Ioseph. lib. 9. cap. 12.

Hierem. cap. 26.

Iratus

Iratus ad pœnam Deus si quos trahit, *Seneca.*
Auferre mentem talibus primum solet,
Caliginemque offundit, vt ruant suas
Furenter in clades, sibi quas noxiis
Accersierunt vltro consiliis malis.

Hoc multarum tibi vrbium (inquit Seneca) *ostēdet euentus, quarū in ipso flore luxuriosa Imperia ceciderunt, & quicquid virtute erat partum, intemperantia corruit.*

Atque hæc de Principatu acquirendo, cōseruando, propagando, perdendoque dicta sint. Cætera quæ ad Aristocraticum Democraticumq; statum proprie pertinent, libro sequenti, faciente Deo, prosequemur. *Lib. 10. Epistol.*

FINIS.





DE NOBILITATE AXIOMATA LXII.

Sub SINIBALDI VBALDI I.C. nomine ante quinquennium edita.

I.

SI naturæ vim & vniuersi terrarum orbis conditionem intueamur, nihil occurret, quod non vel cætera dignitate vincat, vel ab alio rerum genere superetur. cognoscemus quemadmodum omnes rerum formæ inter se dissimiles sunt, ita in nullis eandem vim esse & potentiam.

II.

Inspiciamus orbes cælestes, hi profecto non eodem in loco collocati sunt. In supremo loco cælum EMPIREVM, *in secundo* CRYSTALLINVM; *in tertio* FIRMAMENTVM *cælum stellarum multitudine nobile. Post hæc siderum errantium orbes sunt, qui*

non

non tantum ordine ac specie, sed etiam virtute inter se longe dissimiles existunt. nec dubium est, quin nobiliores nobiliora loca teneant.

III.

Elementa quinetiam, ex quibus non animalia solum, sed plantæ, lapides, & metalla coalescunt, dissimilitudinem & dignitatis & potentiæ habent. ignis, qui tamquam cæterorum princeps summo in loco collocatus est, calidus & siccus est; aer humidus & calidus; aqua frigida & humida; terra sicca & frigida.

IV.

Idem obtinet non solùm in volatilibus: Aquilæ enim, Phœnix, meleagrides, psittaci, &c. inter aues nobiliores sunt. In fluminibus & fontibus: principem namque locum occupant, Tagus, Padus, Ganges, &c. In piscibus, inter quos regnant Balænæ, Pistres, Orcæ, Tritones, &c. In terrestribus animalibus, quibus imperant Leones, Dracones, Elephantes, Panthera, &c.

V.

Sed in metallis etiam, inter quæ aurum, argentum, æs præcellunt. In lapidibus, quibus præeminent Magnes, Marmora, Ebora fossilia, &c. In gemmis & lapillis, quorum pretiosiores sunt Adamas, Margaritæ, Sma-

mercaturæ aliquod genus excellens introduci non poſſet ſine Principis operâ. alter caſus, niſi in euidentiſſimam ſolamque ſubditorum vtilitatem redundet. Hac ratione Veneti nauibus ſuis annonam ſuſtinent. Aduertendum hîc eſt, inter genera mercaturæ nullum ſordidius & damnoſius eſſe, quam honorum magiſtratuumque mercatura. Peſſime Theodoſius Imp. qui magiſtratus, vt prouinciarum præfecturas, quibusuis accedentibus venales exponebat, nulla protſus exiſtimationis, aut honeſtæ vitæ ratione habita; ſed eum iudicans idoneum, qui auri vel argenti maiorẽ ſummam adferret. Tunc argentarios, nummularios, aliosque profeſſiones in foro fœdiſſimas obire ſolitos, magiſtratuum etiam pręcipuorum inſignibus ornatos, videre licebat. Optime contra Alexander Seuerus, qui nullos vmquam gladii honores paſſus eſt vendi. nam *neceſſe eſt*, inquiebat, *vt qui emit, vendat. Ego non patiar mercatores poteſtatum: quos ſi patiar, damnare non poſſum. Erubeſco n. punire illum hominem, qui emit & vendit.* Hanc mercaturam in Galliam, maximo tanti

Zoſimus lib. 4.

Ælius Lamprid. in Seuero.

Re-

Regni malo, introduxit Ludouic' Rex. Bod. lib. 6.
At hi fere propagãdi Imperii modi sunt. Vbi tenendum, propagandi Imperii desiderium sæpissime Rebuspubl. nocuisse: vt contra, Rerumpubl. quæ suo proprio Imperio contentæ fuerunt, status diuturnior fuit. Id in Heluetiis videmus; qui præclare Imperium tuentur, quod propagãdi eius nullam curam gerant. Idem de Venetis hodie, aliisque dici posset.

CAPVT VLTIMVM.

De interitu Imperiorum: &, an conuersiones istæ præuideri possint.

QVAMVIS ex iam dictis, quilibet, quænam Principatus conuersionũ caussæ sint, colligere possit: nihilominus tamen, vt Lectoris industriam adiuuem, de Rerumpublicarum interitu aliquid addã. Sciendum autem est, Respublicas, non secus ac homines, suam habere infantiam, pueritiam, adolescẽtiam, iuuentutem, ætatem mediam, quæ ætas consistendi dicitur, & senectutem: id est, ortum, incrementum, statum, conuersionem, occasum. Et quẽadmodum homini variæ accidunt mu-

tationes, pro ratione temperamenti, educationis, alimentorũq;: ſic & Rebuspubl. ab amicis, ab hoſtibus, a ſubditis, & ab vtrisque ſimul. Poſtremo, quemadmodum mortes hominibus ab externo vel interno malo, vel vtroque ſimul proueniunt: ſic & Rebuspub. Quẽadmodum non ſenes ſolum, ſed & adoleſcentes, pueri & infantes moriuntur: ita Principatus quoque non tantum abſoluti & confecti, ſed etiam qui inchoantur adhuc, & informantur ſæpe interire ſolent. Quemadmodum (inquam) corpora noſtra cernimus, alia externa ferri impulſione, ictuque peruerti; alia, inteſtina humorũ diſſenſione interire; pauca quædam, naturali confecta ſenio cõtabeſcere: ſic ciuitates, partim hoſtilibus armis afflictas; partim domeſtico ſeditionis morbo, quaſi occulto quodam veneno, ante ſenectutis maturitatem, licet intueri. Interna Rerumpubl. mala, ſunt ciuiles diſcordiæ, de quibus ſatis antea dictum; quæ ex iniuria, honore, metu, contemptu, nimiis paucorum opibus, nimia multorum inopia proueniunt. Richardus II. Anglorum rex, quod

quod contra procerum & populi voluntatem, quosdam infimæ sortis & illaudatæ famæ, rebus præfecisset, ab Henrico Lancastriæ Duce, populo expetente, captus misere interiit. Pessimi indicii est, cum harmonia illa & concentus internus perturbatur.

Nec quemquam iam ferre potest, Cæsar ve priorem,
Pompeius ve parem.---

Hac nimirum ratione Roma, omnium alioqui gentium victrix, velut nullum aliud amplius superesset certamen, suis viribus dignum, quam validę illę essent, in seipsam experiri adorta est: nec destitit, donec in suum concidit vulnus. Idē in Imperio Orientali accidit. Scribit Pausanias, cum Lacedæmonii aliquando bellum ciuile capessèrent, Achæorum ducem, 300. seditionum auctores eiecisse, publicorum seruorum tria millia vendidisse, vrbis muros demolitum, puberibusque omnibus iis exercitationibus, in quibus ex Lycurgi lege versabātur, interdixisse. *Pausan. in Arcadicis.* Externa mala Rerumpublicarum ab hostibus proueniunt, vel vi maiore. Sic Babylon, omni- *Hieronymus in Daniel.*

Plinius libr. 34. cap. 2. um quas vnquam Sol aſpexit, vrbium maxima; Heliopolis, Corinthus, Tyrus, aliæque vrbes, penitus deletæ ſunt. Tripolis a Turcis expugnata: atrociſſima crudelitatis, feritatis, auaritiæ, libidinis, contemptus Numinis exempla, quæ excogitari ab vlla barbarie poſſunt, ediderunt: pauci, qui in nauibus ſtabāt, excepti, aufugerunt. In mœnia quoque furor ſæuiit: muros deiecerunt, fundamenta conuulſerunt, diſſiparunt, foſſas explêrunt, adæquarunt, ne veſtigium vllum vrbis exſtaret. Talium exemplorũ millia adduci poſſent. De vi maiore dixi; id intelligendum, cum peſte, fame, terræmotibus, terræ hiatibus, incendiis, fulmine, diluuiisq; Imperia perduntur. Anno a Roma condita trecenteſimo ſeptuageſimo ſexto, ſæuiſſimo *Plin. lib. 2. cap. 90.* terræmotu Achaia vniuerſa concuſſa eſt; & duæ tunc ciuitates, Ebora & Elice, *Agathias lib. 2.* abruptis locorũ hiatib⁹ deuoratæ. Tralles vrbs in Aſio campo, iuxta Mæandrũ fluuium ſita, olim quidem Pelaſgorum colonia fuit, ſub Auguſti vero Cæſaris tempora, terræ motu quaſſata eſt & ſubuerſa, nihilq; in ea integrum relictum.

Tiberii

Tiberii Cæſaris anno quinto, nocturno terræmotu tredecim Aſiæ vrbes collapſæ & dirutæ ſunt. Dictatore Quintio Cincinnato tanta fames Romam oppreſſit, vt quidam inediam non ferentes, in flumen ſe præcipitârint. Tanta fuit fames Athenis, cum a Sylla obſidebantur, vt tritici medimnus mille drachmis vænierit: qui emere non poterant, naſcentia circa arcem gramina inſtar pecudum depaſcebantur: iumẽtis omnibus abſumptis, coria vtresque decoquebant, & calceos, eisque ſuauiter veſcebantur: nonnulli etiam excrementa comedebant, & cadauera humana. Scribit Nauclerus, temporibus Ludouici Bauari, ingentem peſtilentię vim in Europa deſæuiiſſe, quæ quampluri-mas vrbes, inſulas & monaſteria deuaſtauit, ita vt in Italia propter eius ſæuitiam, ad tempus aliquod ius redditum non ſit. Philegiarum gens crebris fulminibus, & telluris vehemẽtiſſimis motibus funditus deleta eſt. Apud Flandros ante quadringentos annos magna nubium moles ex improuiſo cælitus delapſa, multa hominum millia ſuffoca-

Tacit. lib. 5.

Plutarch. in Sylla.

Naucler.

Pauſan. in Bœoticis.

Pont. de fortit. her. libr. 1. cap. 8.

Trithemius de rebus Hirsaug. uit. De domib⁹ vrbibusq; igne consumptis, plenæ sunt historiæ. Restat, vt coronidis loco videamus, an Imperiorum interitus, aliæque conuersiones, præuideri possint. Et vt eorum opinionem silentio prætercam, qui ab errãtium fixarumque stellarum vi ac potestate, ciuitatum conuersiones petendas esse putarunt, (id enim ineptius est, quam vt refelli multis debeat) dico, distinguendũ *Bodir. lib. 4. cap. 2.* inter præcognitiones theoricas, tam naturales quam diuinas; & practicas, quæ *Polyb. lib. 6.* experientiâ potissimum nituntur. Sic prudentis hominis esse dicimus, ex præsenti temporum cognitione, & ex rerum antecedentium caussis, tam priuatim quam publice, conuersiones futuras coniicere & præuidere. Id nimirũ intellexit Prometheus apud Æschilum, dum ait: *Æschilus.*

---cuncta praenoui optime
Futura; nec futura calamitas mihi
Inopina quaequam est.---

Has practicas omnium certissimas arbitror, quamuis & ipsæ coniecturis tantũ cõstent. Si religionis cultus contemnatur, charitas frigere incipiat, &c. Theologus

logus Numinis diuini iram pręuidet: vt Politicus, qui iusticiæ vincula infringi, Principisve tyrannidem videt, vicinorum Principum potentiam, cæterosque politicos gradus non ſęruari. Pyrrhus cum ſpe lapſus potiundæ Siliciæ inde ſolueret: *Qualem*, inquit, *Romanis & Carthaginienſibus palæſtram relinquimus*! Auguſtus Germanicum Druſi filium pró concione palam Reipub. cauſſâ ſeſe adoptare iurauit, de eoque ſæpe illum Ennii verſum pronunciauit: *Plut. in Reg. apoph.* *Sueton.*

Vnus homo nobis vigilando reſtituet rem.

Cæterum Tiberii inſidiis ſublato Germanico, Auguſtus iam animam agens, digrediente Tiberio, cum quo longum & arcanum ſermonem habuerat, exclamauit: *Miſerum populum Romanum, qui ſub tam lentis maxillis edet.* Athenas a Solone accerſitus Epemenides, cũ Munichiam arcem diu contemplatus fuiſſet, dixiſſe fertur: *Quam cæci ſunt Athenienſes in præuidendis rebus futuris! ſi ſcirent, quanta hic locus mala olim daturus ſit, dentibus profectò ſuis eum eroderent, & vnguibus demolirentur.* Inter rationes autem politicas, quibus diuturnitas ſtatus præ- *Diog. Laert. lib. 1.*

uidetur, est, si radices & fundamenta, de quibus capitib⁹ prioribus tractatur, posuerit. Regnum Neapolitanum a Gallis partum, diu conseruari non poterat; radices enim nō egerat. Idem de Ducatu Mediolanensi dici potest. De Prophetiis non loquor hîc. Prophetia enim est visio diuina, de qua non dubitandum. Deus olim per Prophetas populum suum docebat, admonebat, obiurgabat, & futuræ felicitatis vel calamitatis certiorem faciebat. Hac ratione videmus, prophetam Naum, Niniues excidium, per diluuium & incendium, post Ionā prædixisse. Sub rege Iudæorum Nathane, idem Iudæis quoque prædixit Vrias Semeiæ F. Cariathiarimensis; vt & Hieremias, aliique. Quarum prophetiarum plena sunt sacra Biblia. Ad extremum notandum est, omnes propemodum gentes, quæ propter intolerandam vel superbiam, vel iniquitatem, vel luxum, præter alias pœnas quibus a Deo multatæ fuerunt, hanc etiam accepisse, quod securi manserint, artesq; liberales & militares abiecerint, & se deliciis corrumpi & effœminari permiserint.

Ioseph. lib. 9. cap. 12.

Hierem. cap. 26.

Iratus

Iratus ad pœnam Deus si quos trahit, Seneca.
Auferre mentem talibus primum solet,
Caliginemque offundit, vt ruant suas
Furenter in clades, sibi quas noxiis
Accersierunt vltro consiliis malis.

Hoc multarum tibi vrbium (inquit Seneca) *ostẽdet euentus, quarũ in ipso flore luxuriosa Imperia ceciderunt, & quicquid virtute erat partum, intemperantia corruit.*

Atque hæc de Principatu acquirendo, cõseruando, propagando, perdendoque dicta sint. Cætera quæ ad Aristocraticum Democraticumq; statum proprie pertinent, libro sequenti, faciente Deo, prosequemur. *Lib. 10. Epistol.*

N 3

FINIS.





DE NOBILITATE AXIOMATA LXII.

Sub SINIBALDI VBALDI I.C. nomine ante quinquennium edita.

I.

SI naturæ vim & vniuersi terrarum orbis conditionem intueamur, nihil occurret, quod non vel cætera dignitate vincat, vel ab alio rerum genere superetur. cognoscemus quemadmodum omnes rerum formæ inter se dissimiles sunt, ita in nullis eandem vim esse & potentiam.

II.

Inspiciamus orbes cælestes, hi profectò non eodem in loco collocati sunt. In supremo loco cælum EMPIREVM, *in secundo* CRYSTALLINVM; *in tertio* FIRMAMENTVM *cælum stellarum multitudine nobile. post hæc siderum errantium orbes sunt, qui*

non

non tantum ordine ac specie, sed etiam virtute inter se longe dissimiles existunt. nec dubium est, quin nobiliores nobiliora loca teneant.

III.

Elementa quinetiam, ex quibus non animalia solum, sed plantæ, lapides, & metalla coalescunt, dissimilitudinem & dignitatis & potentiæ habent. ignis, qui tamquam cæterorum princeps summo in loco collocatus est, calidus & siccus est; aer humidus & calidus; aqua frigida & humida; terra sicca & frigida.

IV.

Idem obtinet non solùm in volatilibus: Aquilæ enim, Phœnix, meleagrides, psittaci, &c. inter aues nobiliores sunt. In fluminibus & fontibus: principem namque locum occupant, Tagus, Padus, Ganges, &c. In piscibus, inter quos regnant Balænæ, Pistres, Orcæ, Tritones, &c. In terrestribus animalibus, quibus imperant Leones, Dracones, Elephantes, Pantheræ, &c.

V.

Sed in metallis etiam, inter quæ aurum, argentum, æs præcellunt. In lapidibus, quibus præeminent Magnes, Marmora, Ebora fossilia, &c. In gemmis & lapillis, quorum pretiosiores sunt Adamas, Margaritæ, Sma-

ragdus, Opalus, &c. In arboribus denique, frugibus, herbis, floribus, & cæteris plantis. Pomus enim Assyria, Triticum, Pepones, Lilium, Quercus, Auena, Napis, iridi præstant.

VI.

Ista vero excellentia naturalis vt in sempiternis rebus semper manet, ita in iis quæ oriuntur & occidunt, virtute quadam seminis in sobolem ipsam infunditur.

VII.

Quum igitur in belluis, rebus mutis, & cæteris omnibus, videamus hunc ordinem teneri: quid mirum, si in homine, omnium animantium principe, id obseruetur? Magni interesse putamus, ex quo genere sit procreatus canis, equus, &c. ex qua arbore surculus defractus. Et quibus parentibus homo procreatus sit, non curabimus? Non ita: ne naturæ repugnemus, quæ vel inter homines præcipue, alios nobiles, alios ignobiles, id est, terræ filios, nouos homines, a sese ortos esse vult.

IIX.

Nobilis dicitur, quasi noscibilis: vnde fit, vt in generali significatione, nobilis is dicatur, qui propter rem quampiam bonam vel malam, cæteris hominibus innotuit; vt contra

tra ignobilis, cuius nomen cæteris obscurum. Vnde Comicus:

—cum iis mihi
Nec locus nec sermo conuenit, iis
numquam nobilis fui.

Et Poeta:

Solus vbi in siluis Italis ignobilis æuũ
Exigeret.—

IX.

Contractiori autẽ significatione olim apud Romanos NOBILES *dicebantur, quorum Maiores, curules magistratus, vt sunt Consulatus, Censura, Pratura, ædilitas, gesserãt, Apud Gracos* Nobiles *vocabantur, qui a stirpe Regum aut Heroum, puta Heraclidarũ, Æacidarum, Cecropidarum, & aliorum id genus originem ducebant; vt apud Iudaos, qui ab Aaronis vel regum stirpe.*

X.

Hodie Nobilitas dicitur natalium splendor, claritudo generis, & dignitas stemmatum, imaginum, & gentilitatis, a Principe, lege vel consuetudine, ob virtutes reipubl. & vita communi salutares & commodas, scientiam scilicet, vel res praclare gestas, familia alicui collata.

XI.

Dixi ob virtutes; primo, vt excluderem eam quæ ob flagitium confertur: exemplum sit in Cnæo Flanio Tribuno plebis, qui a pop. Rom. & Senator & Ædilis curulis factus est, ob surreptum actionum librum. ne cum nobilitas incitamentum ad res præclare gerendas esse debeat, sceleribus ansam præbeat: quare nihil prorsus ciuili disciplinæ magis aduersarium.

XII.

Deinde, vt excluderem eos qui solâ Principis gratiâ aut præscriptione, vel solis diuitiis, in nobilium ordinem adsciscuntur. non enim nobilitas opinione nititur, sed naturâ; neque facilius Princeps solo beneficio ex ignobili nobilem facere potest, quam ex stulto sapientem.

XIII.

Subiunxi, Reip. & communi vitæ salutares: ii enim qui sapientiæ studio dediti, cœtus hominum relinquunt, & ocium persequuntur, quamuis egregiis virtutibus cumulati sint, inter veros nobiles numerari non possunt. Non nostrâ caussâ nati sumus, alioquin satis esset ad summam dignitatem nostros animos recte componere.

XIIII.

XIIII.

Ciuili igitur tantum disciplina nobilitatem quis cõsequi potest: ciuiles disciplinas diuido in militarem & ciuilem; sub militari, animi magnitudinem; sub ciuili iusticiam, magnificentiam, eloquentiam, & iuris ciuilis prudentiam comprehendo: non minus namq; his, quam illis nobilitas comparatur. Nihil sunt foris arma, nisi res sint domi consilio, & pacis artibus constitutæ.

XV.

Itaque si quis magnitudine animi, quæ in periculis cernitur, polleat, si arte militari excellat, eiusq; clarum aliquod specimen non semel præbuerit, viam ad nobilitatem sibi aperit. Plurimum semper honoris magnitudini animi attributũ est. Sic se (inquit Sallustius) hostem ferire, murum ascendere cõspici, dum tale facinus faceret, properabat: eas diuitias, eamque bonam famam magnam nobilitatem putabant.

XVI.

Atque hac nimirum ratione factum est, vt Roma, Athenæ, Carthago, & aliæ vrbes ad tantam Imperii magnitudinem peruenerint. dum enim ad honores, ad nobilitatem

quisq; contendit, nullum pro republic. periculum recusat. Sic duo Decii, sic Porcius Cato, sic M. Marcellus, sic Iphicrates Atheniensis, sic alii nobilitati fuerunt.

XVII.

Inde factum est, vt quod spondere vires hominis non possunt, magnanimis hisce viris, templa, columnæ, statuæ pyramides extrui cœpta sint, aræ consecrari, decerni diuini honores, mysteria sacra, quæ vni Deo omnium conditori (quem tamen non nouerãt) debebantur.

XVIII.

Hinc imagines familiarum: quas iis tantum ponere licuit, qui magistratus curules gessissent, quorum primus fuit Ædilitas. Apud maiores (inquit Plinius) maiorum imagines erant quæ spectarẽtur, expressi vultus singulis disponebantur armariis, vt essent imagines, quæ comitarentur publica funera. Et paulo post: Aliæ in foribus, ait, & circa limina animarum ingentium imagines erãt, affixis hostium spoliis, quæ nec emptori refringere liceret.

XIX.

Imaginibus successerunt insignia gentilitia, quæ ipsa rerum præclare gestarum signa sunt.

ſunt. alios enim videmus caſtella quæ ceperunt, alios alia, quibus virtutis ſuæ memoriam prodant, geſtare ſolere.

XX.

Eadẽ & maiora de iuſticia dici poſſunt, ex cuius fonte regia poteſtas orta eſt; optimates exſtiterunt; nobilitatis principia fluxerunt. Iuſticiæ admiratione Minos & Rhadamãtus, Pittacus Mytilenæus, Numa Pompilius, Aratus, Sicionius, filii Iouis, & apud omnes nobiliſsimi habiti ſunt: vt & Lycurgus, Draco, Solon, & alii, qui iuſtitiâ nobilem ſtirpem in multos annos propagarunt.

XXI.

Magnificentiâ quoq; & liberalitate, multi ad ſummum nobilitatis faſtigium peruenêre, maximis ſcilicet beneficiis complures ciues obligando. hac ratione Pelos, barbarus & aduena; Priſcus Tarquinius exſul & ignotus; & nuper Coſmus Medices ampliſsimum nobilitatis nomen obtinuerunt.

XXII.

Non defuerunt etiam alii qui eloquentiâ viam ſibi ad magnas dignitates aperirent. hac enim, vt ſcribunt, humanum genus mite & manſuetum effectum eſt. ea effecit vt mu-

tuis officiis certaret, & exutis agrestibus moribus, meliores acciperet.

XXIII.

Quæ eloquentiæ gloria cum iurisprudentia communis est. nec enim fidem seruare; simultates abolere; iustitiam colere; sub legibus esse; eloquentiam magis quam iurisprudentiam attingunt.

XXIV.

Iurisprudentes profecto amplissima semper dignitate culti fuerunt; magnos magistratus, summas dignitates obtinuerunt; Alphenus sutrinæ tabernæ alumnus Romam profectus, iurisprudentiæ cognitione tantum effecit vt Consul crearetur: Vlpianus non vsque adeo nobilis, Alexandri Imp. eadem de caussa tutor factus est.

XXV.

Quæri hîc de nobili patria potest, an ea municipes suos nobilitet? Quod negatur. Recte itaque Aristoteles cuidam de patria glorianti: οὐ τοῦτο (ait) σε δεῖ, ἀλλ' ὅ,τις μεγάλης πατρίδος ἄξιος ἐστίν. *Noli hoc considerare, sed an nobili patria dignus sis. Huc illud Themistoclis pertinet; qui cum Atheniensis esset; Seriphio cuidam in contentione obiectanti, quod non propria virtute, sed patriæ claritudine nobilis factus*

esset,

esset, respõdisse fertur: Neque tu si Atheniensis esses, clarus exstitisses; neq; ego, si Seriphius essem, ignobilis.

XXVI.

Quod & Agesilaus animaduertit; qui puer adhuc, cum in gymnicorum ludorum celebratione, in loco parum honorifico, a Chori magistro locaretur, quamuis Rex declaratus esset, paruit: Ostendam, inquiens, non loca viris, sed viros locis dignitatem conciliare. Simile est quod de Damonida & Alexidemo Milesio scriptum reperitur.

XXVII.

Non negauerim interim, patriæ nobilitatem nonnihil gloriæ & honoris ciuibus afferre. certum namque est virum minoris nobilitatis, qui originem ex nobilissima ciuitate duxit, præferendum esse nobiliori, inferioris alterius ciuitatis. In diuersa tamen sententia videtur Iulius Cæsar fuisse, qui primus malebat in oppidulo aliquo esse, quam Romæ secundus.

XXVIII.

Alia quæstio hîc tractari solet: An rusticus emens feudum nobile, nobilis fiat? Ianus genere & ingenio rusticus, mercaturâ cũ per fas & nefas opes aliquas corrasisset, feu-

dum emit nobile. Quid iuris? Respondeo, non magis fieri eum nobilem, quam emens domũ consulis, consul fit: aut emens nauiculariam, statim nauicularius fit. Μόνον δὴ αὖ αὐτὰ χρημάτων ἐκ αὖ λάβοις γενναιότητα, ἢ ἀρετήν. *Res enim hominibus, non rebus homines accedunt. In hunc porro Ianum illud Tullii contorqueri potest:* O domus antiqua, heu quam dispari dominaris domino!

XXIX.

Cæterum nobilitatis tanta vis est, vt quãuis eius sit propria a quo manat, egressa tamen mortalitatis fines, non cum homine intereat, cuius est vita angustis finibus circumscripta, sed ad posteros transmittatur; & quidem vt iis, nisi sibi ipsis desint, facilem expeditamque viam ad ingentia vitæ commoda, & amplissimas dignitates patefaciat.

XXX.

Tale enim de nobilibus iudicium est, talis spes, fore vt liberi quemadmodum oris lineamenta referunt, parentis etiam virtutem, incensi virtutis amore referant.

Fortes (*inquit ille*) creantur fortibus
  & bonis:
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus.---

Exci-

Excitat certe nobilitas in magnis animis generosam æmulationem, non solum eorum a quibus habent partam nobilitatem, æquandi, sed superandi etiam; quod de Cimone, superiore Africano, Decio filio, Alexandro Magno, & aliis multis legimus.

XXXI.

Raro accidit, vt qui nati probis parētibus, ingenuarum artium studio ad honestatē excoluntur, non eos fructus edant, qui ortus sui fidem faciant. Magnum habet aculeum in magnis ingeniis, recordatio eorum quæ maiores cum laude gesserunt: quod si quando minus accidat, id parentum prauâ educatione accidere dicendum est. Numquam generosa arbor, vbi in feraci solo consita est, & studio culta, ac assiduâ curâ sit, deteriores fructus gignit.

XXXII.

Filii igitur nobilium, nepotes, pronepotes, & cæteri descendentes, nobiles sunt. De adoptiuis ita habendum, quamuis ex nobilitate parentum nonnihil illustrentur, eos tamen nobiles non fieri. nobilitas enim quæ a parentibus transit in filios, est velut ex traduce: adoptiui autem non sunt de sanguine parentum.

XXXIII.

Nothi etiam & spurii nobilium, cum viles & quodammodo infames existant, nobiles non sunt. sordes enim, inquit alicubi Imp. non merentur nominari inter præcipuos. inde fit vt neque dicantur de domo siue agnatione, aut familia parentum esse, neque insignia paterna ferant: nisi consuetudine aliud obseruetur, qualis in Francia & Britannia est (si Iuris interpretibus credimus) vbi nothi in insignibus paternis barram (vt loquuntur) ferunt, transuersam a sinistra parte, ad dextram.

XXXIV.

Non auderem tamen asserere, iis ad nobilitatem viam præclusam esse: ne Herculis, Alexandri Magni, Thesei, Romuli, Themistoclis, Bruti, & aliorum maximorum virorũ nobilitatis initium in dubium vocare viderer. nam non minus vere quam eleganter canit in Andromache Euripides:

--πολλάκις δέ τοι
Νόθοι πολλοὶ, γνησίων ἀμείνονες.

XXXV.

Ad parentes etiam & superiores nobilitas non transit; licèt ex nobilitate filiorum aliquo modo cohonestentur; vt nec ad transuersales.

sales. Si quis itaque nobilitatus fuerit, non succedet ipsius frater; priuilegium cum personale est. nisi forte in vtroque fratre par eadẽque ratio esset.

XXXVI.

Quid autem in vxore ignobili, nobili viro nubente? Et constat inter Iurisconsultos, virum nobilem vxorem ignobilem nobilitare. Mulieres, inquiunt Impp. honore maritorum erigimus, & genere nobilitamus. id quod adeo verum est, vt etiamsi vir moriatur censeatur nobilis, dum vidua manet & honeste viuit, atque retineat dignitatem, priuilegia, honorem maritalem, & familiam.

XXXVII.

Non contra: si enim nobilis ignobili nubat, tantum abest, vt nobilem maritum faciat, vt ipsa potius ignobilis fiat. sequitur enim vxor mariti conditionem: si maritus vilis sit, & ipsa vilis fiet; filiique ab ipsa procreati ignobiles erunt, debentque paterna, non materna insignia ferre.

XXXVIII.

Hæc tamen non procedunt, si vxor esset Regina, aut in alia forte maxima dignitate constituta. isto siquidẽ casu vir vxoris radiis coruscat, licèt eo solo nõ fiat Rex, Dux, Comes, &c.

XXXIX.

Diximus quomodo fere nobilitari soleat genus. addendum iam est, hunc generis splendorem exstingui non raro posse. Qui itaque nobiles nati sunt, ii legem quandam sibi impositam intelligant necesse est: debent maiorum præclaris vestigiis insistere, arduam & asperam crebrisque sentibus inuiam viam capessere; prærupto ac difficili ascensu, quam multæ insidiæ, perpetui hostes infestam habẽt; & quantum in ipsis est, delitias, voluptates, conuiuia, quæque ista sequuntur & comitantur, illecebras, libidines, amores, cupiditates, ambitionem, iracundiamque fugere.

XXXX.

In quibus igitur illæ egregiæ artes, virtutesque, quibus est a maioribus parta nobilitas, non elucent, ii potius fumosas imagines, quam veram nobilitatem habere dicuntur. qui vero cum nobili nati loco sint, adeo tamen peruersis moribus imbuti sunt, vt honestatis rationem nullam ducant, ii sponte sese in tenebras abdunt, & splendorem familiæ, quantum in ipsis est, obscurant. In hos contortum est illud:

Genus

Genus qui laudat suũ, aliena laudat.

Item:

Tota licèt veteres exornent vndique Ceræ
Atria; nobilitas sola est atque vnica virtus.

XLI.

Qui nobilis natus flagitiis suis maiorum merita, si modo illa maculâ affici possunt, inquinare studet, dignißimus ille est, qui ex nobilium albo deleatur. hac de caussa in Phalaridem vniuersa Agrigentinorum multitudo impetum fecit: ideo Hipparchus & Hippias expulsi fuerunt: hac fuit ratio, quare Tarquinii exterminarentur: idcirco Dionysius posterior eiectus fuit, atque ita alii multi trucidati & infamiâ notati.

XLII.

Apparet ex his, per infamiam & vitæ turpitudinem nobilitatem amitti. quomodo quæso, sine honore consistet nobilitas? quod adeo verum est, vt quamuis quis turpem vitam reliquerit, & bonis moribus se deuoueat, nobilitatem non recuperet, nisi per Principis restitutionem, neque solum ipse infamis nobilis esse desinit, sed & liberi eius nobiles non censentur.

XI.

Dixi ob virtutes; primo, vt excluderem eam quæ ob flagitium confertur: exemplum sit in Cnæo Flauio Tribuno plebis, qui a pop. Rom. & Senator & Ædilis curulis factus est, ob surreptum actionum librum. ne cum nobilitas incitamentum ad res præclare gerendas esse debeat, sceleribus ansam præbeat: quare nihil prorsus ciuili disciplinæ magis aduersarium.

XII.

Deinde, vt excluderem eos qui solâ Principis gratiâ aut præscriptione, vel solis diuitiis, in nobilium ordinem adsciscuntur. non enim nobilitas opinione nititur, sed naturâ; neque facilius Princeps solo beneficio ex ignobili nobilem facere potest, quam ex stulto sapientem.

XIII.

Subiunxi, Reip. & communi vitæ salutares: ii enim qui sapientiæ studio dediti, cœtus hominum relinquunt, & ocium persequuntur, quamuis egregiis virtutibus cumulati sint, inter veros nobiles numerari non possunt. Non nostrâ caussâ nati sumus, alioquin satis esset ad summam dignitatem nostros animos recte componere.

XIIII.

Ciuili igitur tantum disciplina nobilitatem quis cõsequi potest: ciuiles disciplinas diuido in militarem & ciuilem; sub militari, animi magnitudinem; sub ciuili iusticiam, magnificentiam, eloquentiam, & iuris ciuilis prudentiam comprehendo: non minus namq; his, quam illis nobilitas comparatur. Nihil sunt foris arma, nisi res sint domi consilio, & pacis artibus constitutæ.

XV.

Itaque si quis magnitudine animi, quæ in periculis cernitur, polleat, si arte militari excellat, eiusq; clarum aliquod specimen non semel præbuerit, viam ad nobilitatem sibi aperit. Plurimum semper honoris magnitudini animi attributũ est. Sic se (inquit Sallustius) hostem ferire, murum ascendere cõspici, dum tale facinus faceret, properabat: eas diuitias, eamque bonam famam magnam nobilitatem putabant.

XVI.

Atque hac nimirum ratione factum est, vt Roma, Athenæ, Carthago, & aliæ vrbes ad tantam Imperii magnitudinem peruenerint. dum enim ad honores, ad nobilitatem

quisq; contendit, nullum pro republic. periculum recusat. Sic duo Decii, sic Porcius Cato, sic M. Marcellus, sic Iphicrates Atheniensis, sic alii nobilitati fuerunt.

XVII.

Inde factum est, vt quod spondere vires hominis non possunt, magnanimis hisce viris, templa, columnæ, statuæ pyramides extrui cœpta sint, aræ consecrari, decerni diuini honores, mysteria sacra, quæ vni Deo omnium conditori (quem tamen non nouerãt) debebantur.

XVIII.

Hinc imagines familiarum: quas iis tantum ponere licuit, qui magistratus curules gessissent, quorum primus fuit Ædilitas. Apud maiores (inquit Plinius) maiorum imagines erant quæ spectarẽtur, expressi vultus singulis disponebantur armariis, vt essent imagines, quæ comitarentur publica funera. Et paulo post: Aliæ in foribus, ait, & circa limina animorum ingentium imagines erãt, affixis hostium spoliis, quæ nec emptori refringere liceret.

XIX.

Imaginibus successerunt insignia gentilitia, quæ ipsa rerum præclare gestarum signa sunt.

ſunt. alios enim videmus caſtella quæ ceperunt, alios alia, quibus virtutis ſuæ memoriam prodant, geſtare ſolere.

XX.

Eadẽ & maiora de iuſticia dici poſſunt, ex cuius fonte regia poteſtas orta eſt; optimates exſtiterunt; nobilitatis principia fluxerunt. Iuſticiæ admiratione Minos & Rhadamãtus, Pittacus Mytilenæus, Numa Pompilius, Aratus, Sicionius, filii Iouis, & apud omnes nobiliſsimi habiti ſunt: vt & Lycurgus, Draco, Solon, & alii, qui iuſtitiâ nobilem ſtirpem in multos annos propagarunt.

XXI.

Magnificentiâ quoq; & liberalitate, multi ad ſummum nobilitatis faſtigium peruenêre, maximis ſcilicet beneficiis complures ciues obligando. hac ratione Pelos, barbarus & aduena; Priſcus Tarquinius exſul & ignotus; & nuper Coſmus Medices ampliſsimum nobilitatis nomen obtinuerunt.

XXII.

Non defuerunt etiam alii qui eloquentiâ viam ſibi ad magnas dignitates aperirent. hac enim, vt ſcribunt, humanum genus mite & manſuetum effectum eſt. ea effecit vt mu-

esset, respõdisse fertur: Neque tu si Atheniensis esses, clarus exstitisses; neq; ego, si Seriphius essem, ignobilis.

XXVI.

Quod & Agesilaus animaduertit; qui puer adhuc, cum in gymnicorum ludorum celebratione, in loco parum honorifico, a Chori magistro locaretur, quamuis Rex declaratus esset, paruit: Ostendam, inquiens, non loca viris, sed viros locis dignitatem conciliare. Simile est quod de Damonida & Alexidemo Milesio scriptum reperitur.

XXVII.

Non negauerim interim, patriæ nobilitatem nonnihil gloriæ & honoris ciuibus afferre. certum namque est virum minoris nobilitatis, qui originem ex nobilissima ciuitate duxit, præferendum esse nobiliori, inferioris alterius ciuitatis. In diuersa tamen sententia videtur Iulius Cæsar fuisse, qui primus malebat in oppidulo aliquo esse, quam Romæ secundus.

XXVIII.

Alia quæstio hic tractari solet: An rusticus emens feudum nobile, nobilis fiat? Ianus genere & ingenio rusticus, mercaturâ cũ per fas & nefas opes aliquas corrasisset, feu-

dum emit nobile. Quid iuris? Respondeo, non magis fieri eum nobilem, quam emens domũ consulis, consul fit: aut emens nauiculariam, statim nauicularius fit. Μόνον δὴ αἱ αὐτὰ χρημάτων οὐκ αἱ λάβοις γενναιότητα, ἢ ἀρετήν. *Res enim hominibus, non rebus homines accedunt. In hunc porro Ianum illud Tullii contorqueri potest:* O domus antiqua, heu quam dispari dominaris domino!

XXIX.

Cæterum nobilitatis tanta vis est, vt quãuis eius sit propria a quo manat, egressa tamen mortalitatis fines, non cum homine intereat, cuius est vita angustis finibus circumscripta, sed ad posteros transmittatur; & quidem vt iis, nisi sibi ipsis desint, facilem expeditamque viam ad ingentia vitæ commoda, & amplissimas dignitates patefaciat.

XXX.

Tale enim de nobilibus iudicium est, talis spes, fore vt liberi quemadmodum oris lineamenta referunt, parentis etiam virtutem, incensi virtutis amore referant.

Fortes (*inquit ille*) creantur fortibus
  & bonis:
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus.---

Exci-

Excitat certe nobilitas in magnis animis generosam æmulationem, non solum eorum a quibus habent partam nobilitatem, æquandi, sed superandi etiam; quod de Cimone, superiore Africano, Decio filio, Alexandro Magno, & aliis multis legimus.

XXXI.

Raro accidit, vt qui nati probis parētibus, ingenuarum artium studio ad honestatē excoluntur, non eos fructus edant, qui ortus sui fidem faciant. Magnum habet aculeum in magnis ingeniis, recordatio eorum quæ maiores cum laude gesserunt: quod si quando minus accidat, id parentum prauâ educatione accidere dicendum est. Numquam generosâ arbor, vbi in feraci solo consita est, & studio culta, ac assiduâ curâ sit, deteriores fructus gignit.

XXXII.

Filii igitur nobilium, nepotes, pronepotes, & cæteri descendentes, nobiles sunt. De adoptiuis ita habendum, quamuis ex nobilitate parentum nonnihil illustrentur, eos tamen nobiles non fieri. nobilitas enim quæ a parentibus transit in filios, est velut ex traduce: adoptiui autem non sunt de sanguine parentum.

XXXIII.

Nothi etiam & spurii nobilium, cum viles & quodammodo infames existant, nobiles non sunt. sordes enim, inquit alicubi Imp. non merentur nominari inter præcipuos. inde fit vt neque dicantur de domo siue agnatione, aut familia parentum esse, neque insignia paterna ferant: nisi consuetudine aliud obseruetur, qualis in Francia & Britannia est (si Iuris interpretibus credimus) vbi nothi in insignibus paternis barram (vt loquuntur) ferunt, transuersam a sinistra parte, ad dextram.

XXXIV.

Non auderem tamen asserere, iis ad nobilitatem viam præclusam esse: ne Herculis, Alexandri Magni, Thesei, Romuli, Themistoclis, Bruti, & aliorum maximorum virorũ nobilitatis initium in dubium vocare viderer. nam non minus vere quam eleganter canit in Andromache Euripides:

--πολλάκις δέ τοι
Νόθοι πολλοὶ, γνησίων ἀμείνονες.

XXXV.

Ad parentes etiam & superiores nobilitas non transit; licèt ex nobilitate filiorum aliquo modo cohonestentur; vt nec ad transuersales.

sales. Si quis itaque nobilitatus fuerit, non succedet ipsius frater; priuilegium cum personale est. nisi forte in vtroque fratre par eadẽque ratio esset.

XXXVI.

Quid autem in vxore ignobili, nobili viro nubente? Et constat inter Iurisconsultos, virum nobilem vxorem ignobilem nobilitare. Mulieres, inquiunt Impp. honore maritorum erigimus, & genere nobilitamus. id quod adeo verum est, vt etiamsi vir moriatur, censeatur nobilis, dum vidua manet & honeste viuit, atque retineat dignitatem, priuilegia, honorem maritalem, & familiam.

XXXVII.

Non contra: si enim nobilis ignobili nubat, tantum abest, vt nobilem maritum faciat, vt ipsa potius ignobilis fiat. sequitur enim vxor mariti conditionem: si maritus vilis sit, & ipsa vilis fiet; filiique ab ipsa procreati ignobiles erunt, debentque paterna, non materna insignia ferre.

XXXVIII.

Hæc tamen non procedunt, si vxor esset Regina, aut in alia forte maxima dignitate constituta. isto siquidẽ casu vir vxoris radiis coruscat, licèt eo solo nõ fiat Rex, Dux, Comes, &c.

XXXIX.

Diximus quomodo fere nobilitari soleat genus. addendum iam est, hunc generis splendorem exstingui non raro posse. Qui itaque nobiles nati sunt, ii legem quandam sibi impositam intelligant necesse est: debent maiorum praeclaris vestigiis insistere, arduam & asperam crebrisque sentibus inuiam viam capessere; praerupto ac difficili ascensu, quam multae insidiae, perpetui hostes infestam habēt; & quantum in ipsis est, delitias, voluptates, conuiuia, quaeque ista sequuntur & comitantur, illecebras, libidines, amores, cupiditates, ambitionem, iracundiamque fugere.

XXXX.

In quibus igitur illae egregiae artes, virtutesque, quibus est a maioribus parta nobilitas, non elucent, ii potius fumosas imagines, quam veram nobilitatem habere dicuntur. qui vero cum nobili nati loco sint, adeo tamen peruersis moribus imbuti sunt, vt honestatis rationem nullam ducant, ii sponte sese in tenebras abdunt, & splendorem familiae, quantum in ipsis est, obscurant. In hos contortum est illud:

Genus

Genus qui laudat ſuũ, aliena laudat.

Item:

Tota licèt veteres exornent vndique Ceræ
Atria; nobilitas ſola eſt atque vnica virtus.

XLI.

Qui nobilis natus flagitiis ſuis maiorum merita, ſi modo illa maculâ affici poſſunt, inquinare ſtudet, digniſſimus ille eſt, qui ex nobilium albo deleatur. hac de cauſſa in Phalaridem vniuerſa Agrigentinorum multitudo impetum fecit: ideo Hipparchus & Hippias expulſi fuerunt: hac fuit ratio, quare Tarquinii exterminarentur: idcirco Dionyſius poſterior eiectus fuit, atque ita alii multi trucidati & infamiâ notati.

XLII.

Apparet ex his, per infamiam & vitæ turpitudinem nobilitatem amitti. quomodo quæſo, ſine honore conſiſtet nobilitas? quod adeo verum eſt, vt quamuis quis turpem vitam reliquerit, & bonis moribus ſe deuoueat, nobilitatem non recuperet, niſi per Principis reſtitutionem, neque ſolum ipſe infamis nobilis eſſe deſinit, ſed & liberi eius nobiles non cenſentur.

XLIII.

Quod de infamia, idem de paupertate asseverere nonnulli non sunt veriti; quasi vero pauper vilis sit, & ignobilis. Quod absurdißimũ est. fateor diuitias ornamentum nobilitatis, nego caussam esse. Sapiens itaque in parua & humili casa rusticum patremfam. nobilem agnoscit, atque è fictilibus olus & nasturtium sumentem. cuiusmodi olim fuisse Fabricios illos, & Curios fama est, maximorum regum victores.

XLIV.

De iis qui vilibus & mechanicis artibus vtũtur, non dubium est, quin nobilitatem amittant. id non solum apud nos, sed apud Ægyptios, Scythas, Persas, Lacedæmones, Corinthios, & alias nationes obseruatum fuiße, testatur Herodotus & Xenophõ in Oeconomico. Nam corpora exercentium atteruntur, & aßidere homines atq; vmbratiles esse cogũtur.

XLV.

Quid autem in eo, qui cum veræ religionis causa exul sit, nec qua alia ratione vitam toleret, sciat, mechanicas artes exercet; amittet ne nobilitatem? Christianam quidem non amittet, ciuilẽ amittet; ita tamen, vt si in patriã aliquãdo mutato rerũ statu reuerti cõtigerit, eã iure quodã postliminii recuperet.

XLVI.

XLVI.

Illa quæstio elegans est, An nobilis qui per exercitium vilium artium nobilitatem amisit, præiudicet liberis? distinguendumq; est, an ipse nobilitatē quæsiuerit, an a maioribus acceperit, vt illo casu præiudicet, hoc vero non. Is qui ciuitatem amisit (inquit I. C.) nihil aliud iuris adimit liberis, nisi quod ab ipso prouentum erat ad eos, si intestatus in ciuitate mortuus fuisset. quæ vero non a patre, sed a genere, aciuitate, a rerum natura tribuuntur, ea liberis incolumia manent.

XLVII.

Procuratoris & rabulæ officium quia vilissimum est, & infamis procurator Iure ciuili esse potest: ideo qui id exercet, nobilitatem amittit: nisi quis forte excipere vellet procuratores magnarum curiarum vel parlamentorum, vt vocant. Idem in Notario obtinere plerique existimauerunt.

XLVIII.

Aduocati contra munus laudabile, vitæque hominum maxime necessarium est, vt testantur Impp. qui aduocatos nobilissimos, & in clarissima dignitate constitutos esse rescripserūt. Ac ideo Iuris interpretes existimarūt,

aduocatos tamquam in dignitate conſtitutos torqueri non debere, & ad eos mittendum eſſe tamquam ad egregias perſonas.

XLIX.

In Medicis maior dubitatio eſt. Medicina enim in Iure noſtro, non vno in loco videtur ſeruilis ars eſſe. certumque eſt, medicos olim ſeruos fuiſſe: Lucius ita teſtamento cauit (ait alicubi I. C.) Medicos tibi commendo illum & illum; in tuo iudicio erit, vt habeas bonos libertos & medicos. Imperauit medico ſeruo (inquit Seneca) Domitius, vt venenum ſibi daret.

L.

Conſtat etiam medicos ex ſuæ artis præcepto, non ſolum inſpicere, ſed & tractare, aliquando etiã guſtare debere fœdiſſimas quasque res, vrinas, oletum, ſtercus, ſputa, menſtrua, ſudores, vomitum, omnia denique hominis excrementa: ideo Hippocrates ab Ariſtophane σκατοφάγος dictus eſt. vt ex his videatur dicendum, medicos nobilitatẽ amittere.

LI.

Contrarium tamen verius eſt. quamuis enim apud Rom. medici olim plærumque ſerui fuerint, non ideo Medicina ſeruilis ars eſt. plusquam manifeſtum eſt enim, Principes

etiam

etiam, Reges, & Imperatores, medicos fuisse, ipsosque adeo sanctos & angelos. Prodeant in medium Apollo, Æsculapius, Podalirius, diui: Moses, Esaias, Esdras, Iesus Sirach, sancti: Archangelus, Thobiæ: Salomon, Ezechias, Mithridates, Auicenna, reges: Nero, Adrianus, Constantinus & alii, Impp.

LII.

Nec quicquam obstat, quod medicos circa res sordidas versari diximus. Nam non omnes id faciunt. Humanum stercus, ait Galenus, in medendo tamquam abominandum semper detestatus sum. & alibi: Vrinam degustare, obominandum est. Sed concesso, aliquos medicos sordida tractare; nonne eo magis laudandi sunt, qui vt tibi morti propinquo succurrant, sordida tractare sponte non verentur?

LIII.

Certe medicos honore afficiendos esse, non ex vno S. Script. loco ostendi potest: Honora medicum, inquit Ecclesiast. propter necessitatem; creauit enim ipsum Altissimus. & paulo post: A Deo est omnis medela, & a Rege accipiet donationem. Disciplina medici exaltabit caput ipsius, & in conspectu magnatum collaudabitur. vt alia omittam loca, ex qui-

bus patet, medicum ideo nobilitatem non amittere. Medicum cum dico, excludo chirurgos, quorum vile; parabolanos, agyrtas, circumforaneos, quorum infame officium est.

LIIII.

Mercaturam quod attinet, quemadmodum vtilißimam plerumque esse, non nego; sic sordidam, & nobilitati derogare, nisi amplasit, & per alios exerceatur, existimo. Id nimirum illud est quod Aristoteles scripsit, apud Thebanos legem fuisse, vt nemo idoneus ad honores reipubl. suscipiendos esset, nisi per decennium a mercatura destitisset.

LV.

Notat Valerius Maximus inter cætera, quæ Tarquinium Priscum antequam Romanum imperium adeptus esset, abiectum, humilem, depressumque faciebant, illud quoque fastidiendum fuisse, quod esset mercatore genitus. Dauid certe Propheta dicit, quia nõ cognouit negociationem, se introiturum in potentias Domini. huc pertinet illud Matthæi: Eiiciebat ementes & vendentes de templo. ex quo loco Chrysostomus colligit, mercatores raro Deo placere.

LVI.

Nobilis igitur si mercaturam exerceat, nobilis

bilis esse desinit: nisi statuto aliud caueatur, quale est apud Venetos, Genuenses, Florentinos, Lucenses, vbi nobiles mercaturam exercendo, ignobiles non fiunt quamuis aliquid de nobilitate detrahant. hi proprie domi nobiles vocari possunt. vix enim est, vt in Germania, vel aliis eiusmodi in locis, pro veris nobilibus agnosci poßint.

LVII.

Ne multis morer: nobilitatem amittunt, pictores qui lucri causa pingunt, comœdi, tragœdi, histriones, mimi, pantomimi, saltatores, tibicines, cytharœdi, & aliorum instrumentorum lusores, (vt vocant) qui operam suam publice venalem habent: item coqui, caupones, tabernarii, popinarii, agitatores, monetarii, arenarii, apparitores, viatores, pigmentarii, & fere mercenarii omnes. Nisi mos regionis aliud suadeat, ad quem semper respiciendum.

LVIII.

Iam de nobilium priuilegiis quædam addenda sunt. Nobiles in feudis, honoribus, magistratibus & dignitatibus ciuitatum, ignobilibus præferuntur; vt & in seßionibus, salutationibus, & id genus aliis: nobili magis

credendum, quam ignobili: nobilis censetur egregia persona, & ad ipsius domum veniendum, quum cum eo agendum est: ignobilis nobilem ad pugnam prouocare nequit: nobilis minus punitur quam plebeius, laquei (exempli gratia) pœna ignominiosissima & fœdissima, nobiles regulariter non puniuntur: magis affligitur nobilis ex parua quapiam corporali pœna, quam ignobilis ex magna. Hæc cæteris paribus intelligenda sunt.

LIX.

Nobiles a nonnullis muneribus & oneribus publicis exempti sunt; ignobiles vero nequaquam: plebeius aduersus nobilem de dolo, aut alia actione famosa vti non potest: nobiles ad latus Principis semper stare debent, non plebeii: nobiles cum citantur, debet citatio in scriptis fieri: nobiles non tam stricte regulariter incarcerari debent, vt ignobiles: nobilibus licet in caussis criminalibus per procuratorem comparêre, non etiam ignobilibus: nobiles non debent conueniri vltraquam facere possunt: alimenta præstantiora decernenda sunt nobilibus, quam ignobilibus: nobiles denique, & eorum vxores debent præstantioribus vestibus vti quam ignobiles. Hæc, & alia

lia nobilium priuilegia quomodo intelligenda sint, late docet Tiraquellus.

LX.

Coronidis loco quæro primo, An propter egregias aliquas virtutes nobilitatus, vera nobilis sit? Respondeo, eum quidem veræ nobilitatis principium esse, sed non vere nobilem: quemadmodum vnitas non est numerus, sed principium numeri. postquam vero in ea familia multi exemplis illius incitati, in gloriæ cupiditatem incubuerint, tum demum elucere incipiet nobilitas. differentia est inter εὐγενὴ & γενναῖον.

LXI.

Secundo quæro, An homo nouus, qui famam virtutis egregie consecutus est, nobili ignauo præferendus sit? Respondeo omnino præferendum esse. Comparate, inquit Marius apud Sallustium, me hominem nouum cum illorum superbia, quæ illi audire, legere solent; eorum partem vidi, alia egomet gessi, &c. & paulo post: Contemnunt nouitatem meam, ego illorum ignauiam; mihi fortuna, illis probra obiectantur, &c. Item: Quod si iure me despiciunt, faciant id maioribus suis, quibus vti mihi ex virtute nobilitas cœpit;

inuident honori meo, ergo inuideant labori, innocentiæ, periculis etiam meis, quoniam per illum hæc cœpi, &c. Item: Cum apud vos aut in Senatu verba faciunt, plerâque oratione maiores suos extollunt, atque eorum fortia facta memorando, clariores se putant: quod contra est. nam quanto vita illorum præclarior, tanto horum socordia flagitiosior. nunc videte quam iniqui sint: quod ex aliena virtute sibi arrogant, id mihi ex mea non concedunt: scilicet quia imagines non habeo, & mihi noua nobilitas est. & paulo post: Non possum fidei caussa imagines, neque triumphos, aut consulatus maiorum meorum ostentare; at si res postulat, hastas, vexillum, phaleras, alia militaria dona; præterea cicatrices aduerso corpore: hæ sunt meæ imagines, hæc mea nobilitas, non hereditate relicta. & quæ sequuntur.

LXII.


Postrema quæstio difficilior est, Vtri sint anteponendi, iine qui nullo domestico exemplo incitati, ad nobilitatem peruenêre, an illi potius qui gloriam maiorũ virtute quæsitã, omni

omni pectore conseruant? Respondeo, hosce anteponendos. noui enim tantum virtute sua, hi quia maiorum vestigiis ingressi sunt, non tantum sua, sed suorum etiam virtute clari exsistunt:

Nec minor est virtus, quam quærere, parta tueri.

FINIS







RERVM ET VERBORVM PRÆCIPVE MEMORABILIUM, INDEX.

Vecti-


INDICIS FINIS.

CORRIGENDA IN PRINCIPE.

Pagina 4, versu 8, *referunt*. ibid. 9, *imitentur*. ibid. 18, *luxui*. P. 144, v. 19, *vt non aliter*. P. 164, v. 6, *Lusitani*. P. 205, v. 12, *mimi*.

IN AVLICO.

P. 1, *in lucem ed*. P. 10, v. 19, *Plautianũ*. P. 21, v. 19, *communis*. P. 27, v. 11, *ignominia*. P. 48, v. 23, lege, *sine suo magno sumptu l. p.*



HIPPOLYTI A COLLIBVS PALATINVS,

Siue

AVLICVS.

Nunc primum lucem editus.



HANOVIÆ

Apud Guilielmum Antonium,

MDXCV.



ARENITO A COLLIBVS PATRVELI MEO S.

SI verum illud est, quod est verissimum, eos demum solide de re quapiam iudicare posse, qui studio eius incensi, magnum suum nomen atque illustre, eâ per plurimos annos excolendâ, fecerunt; pauci reperientur, qui ad exactam Principalis aulæ normam, militari ciuilique munere virum elegantem, melius te ARENITE frater, instituere, deque aulæ commodis & incommodis solidius disserere valeant. Nam & infans adhuc apud postremam Mediolanensium ducem Christiernam Daniæ Reginam, cuius gynæceo præerat tunc mater tua; insigni cura educatus, felicis ingenii specimen præclarum dedisti: & maior, in Vespasiani Gonzagæ, Principis (vt cætera taceam) bellica laude clarissimi, familiam, a patre meo eius tum aulæ præfecto pertractus, cum ipso Italiam, Germaniam Hispaniamque perlustrasti: tan-

dem priori Dominæ, quæ altero matrimonio Frãcisco Lotharingiæ Duci se iunxerat, restitutus, ab eadem postmodũ, arridentis iam naturæ, excultique ingenii dotibus instructus, filio Carolo *traditus, ei etiam legationibus obeundis, fidem, diligentiam, prudentiamque tuam ita probasti, vt eius Cubicularii nomen (qui honos non cuilibet nobili Lotharingo, ne dum extraneo contingit) non multo post merueris. Quo quadraginta circiter annorum spacio, non est dubium quin quamplurima, quæ ad præcellentem aulici educationem exactamque disciplinam pertinent, obseruaueris; vsuque didiceris, aulæ felicitatem non in exterioribus illis consistere,*

Fulgentes manibus videre gemmas,
Aut testudineo iacere lecto,
Aut pluma latus abdidisse molli,
Aut auro bibere, & cubare cocco,
Regales dapibus grauare mensas,
Et quicquid Libyco secatur aruo
Non vna positum tenere cella, *&c.*
Sed nullos trepidum timere casus,
Nec vano populi fauore tangi,
Et stricto nihil æstuare ferro.
Hoc quisquis poterit, licebit illi
Fortunam moueat loco superbus.

Quid

Quid mirum igitur, si te potissimum PALATINVS *hic meus adeat, si iudicium tuum poscat? quod eo liberius futurum scit, quoniam aula relicta, emeritus domum reuersus es, vbi*

Paterna rura bobus exerces tuis.

Illic modo sub antiqua ilice, modo in tenaci gramine hunc libellum legere si dignaberis, vitæ anteactæ, non sine animi voluptate, recordari poteris:

Illic purpureis tecta rosariis
Omnis fragrat humus, calthaque pinguia
Et molles violas, & tenues crocos
Fundit fonticulis vnda fugacibus.

Est & alia huius scriptionis causa, sanguinis inter nos vinculum. ideo arctius habendum, quod familiæ nostræ soli (iungo nobis Fridericum meum Casimirum) superstites simus. Iampridem enim patruus noster Ioan. Baptista, Rhodii ordinis, quem Melitensem *nūc vocant, eques, aduersus Christiani nominis hostes fortiter pugnans occubuit. eum sequutus est pater tuus Camillus Tortonæ præfectus: postremo & meus, vt erat fratrum natu minimus: cuius apud me memoria merito semper sanctissima. Hi tamen diuerso fato;*

quia placide. Quare haud est quod verear quin hic tibi AVLICVS *gratus futurus sit; immo quin vtrumque assecuturus sim, & vt mihi grati animi fructus aliquis constet, meæ voluntatis in te hoc qualicumque testimonio constituto, & vt qui aulici rectissimo itinere ad perennem laudem aspirant, tuo exemplo magis magisq́; inflammentur. Vale nobilissime Arenite. Scr. Kal. Nouembr.* VIC.





HIPPOLYTI A COLLIBVS

PALATINVS,

Siue

AVLICVS.

ACcidit cottidie pene, vt Palatini qui dignitates & opes, ad quas diu adſpirarunt, obtinere non potuerunt: modo Principum ingratitudinẽ incuſent, modo in aulas, virtutum (vt aiunt) inſectatrices, modo in inuidiam, modo in animorum cæcitatem, ſæpe in fortunæ inconſtantiam, cui priora omnia tribuunt, inuehantur: ac illud ſubinde exclament,

O Fortuna, viris inuida fortibus, — *Sen. in Herc. fur.*

Quam non æqua bonis præmia diuidis:

vt plurimum, meo quidem iudicio, immerito, ne quid grauius dicam. Nam licèt Principes ſæpiſſime mimos, paraſi- — *Seneca lib. 4. De benefic.*

Philipp. Cōmin. lib. 5. tos, adulatores, atque id genus hominum, quibus multa iam largiti ſunt, maiore honore & amore proſequantur, iisque ſua libentius concredant, quam quibus vitam debent, & quorum ope ſceptra tenent; quos nonnumquam ruſtico pudore ſuffuſi, illibenter videre, expellere, immo & capitali odio perſequi ſolent: quamuis etiam boni ac pudentes impudentium Palatinorū (quos merito Conſtantinus *tineas ſoricesq́ Palatii* vocare ſolebat) fraudibus eludantur: *qui ſecretis criminationibus infamant ignarum, &, quo incautior deciperetur, palam laudatum*: video nihilominus horum præcipue malorum ſcaturiginem ab ipſiſmet (fateamur enim id quod res eſt) plerumque oriri: quod aulæ ſe dedant artibus & moribus iis deſtituti, qui ſumme requiruntur; maxima Principū negotia tractare parent, quum vix ſibi ipſi quid facto opus ſit præſcribere valeant; quod peſſimū eſt, magnifice de ſe ſentire ſoleant. Nimis ineptum eſt, onus ſubire, cui ferendo vires non ſufficiant. Princeps vix adeo malus reperitur, qui non diligenter & prudenter ſua negotia

Sext. Aurel. Vict.

Tacit. lib. 1. hiſt.

ex-

expediri cupiat; ac consequenter fidos prudentesque ministros, quorum ope se difficulter carere videt, vel sui caussa beneficiis & honoribus non prosequatur. At inuidia, quæ virtuti comes est, eamque non aliter sequitur atque vmbra corpus, sæpe conatibus obstat. Sit sane: arte tamen & virtute ita superanda est, vt nocere non possit. Instas: lubricam Regum gratiam esse, sæpissimeque contingere vt qui apud Principes maxima gratia pollent, & omnia in aulis, quô volunt, facile perducunt, in maximum odium vitæque discrimen incidant:

Namque hos e summo quasi fulmen deiicit ictos
Inuidia interdum contemtim in tartara tetra.

Lucret. libr. 5. de rer. natur.

Hermeas magna apud regem Antiochum auctoritate valebat: is tandem inspectante probanteq; rege interemtus est. L. Ælius Seianus, tanta apud Tiberium gratia fuit, vt pro collega in imperio haberetur: in hunc lata sententia est, placere Ælium Seianum capite plecti, corpus in Gemonias proiici, eiusq; liberos omnes interfici. Plautianus, vt tot

Polyb. lib. 4.

Dio in Tiberio.

Zonar. an. tom. 2.

alia omittam, tanta potestate apud Seuerum valuit, vt particeps imperii censeretur: nihilominus misere interiit, & cadauer eius in viam contumeliose proiectum. vt ex his coniicere liceat, Principum gratiam exitium adferre; & cum Seneca exclamare quis possit:

O Regnorum magnis fallax
Fortuna bonis, in præcipiti
Dubioq; nimis excelsa locas!
Numquam placidam sceptra quietem
Certumve sui tenuêre diem.

Hæc ita se habent. Verum, si penitius rẽ intueamur, gratiam Principum per se non obfuisse cognoscemus, sed ipsos qui gratia satis vti non potuerunt. Hermeam intolerandus fastus odiosissimũ fecerat: Ælium Seianum perduellio & perfidia: Plantianum inexplebilis auaritia. atq; idem fere de ceteris, qui Principum gratiâ exciderunt, dici posse reperiemus. Neque id in Aulicis mirari debemus, quum & similibus de caussis ipsos Principes sublimi rerum fastigio sæpe deturbatos legamus: vt contra, si in eos qui humili loco nati, clari euaserunt, oculos intendamus, eorumque a-

ctio-

ctiones perpendamus, multis præsidiis instructos fuisse inueniemus. Prodeant in medium Agathocles, Ptolemæus primus, Hieron, Ser. Tullius, Sylla, Vespasianus, Probus Imperator, Iustinus Thrax, Ottomanus, & alii innumerabiles, qui vilissimo licét genere nati, Regias dignitates ingenio, virtute, diligentia obtinuerunt. *Arbores magnæ* (ait Q. Curtius) *diu crescunt, vna hora exstirpantur. Stultus est qui fructum earum spectat, altitudinem non metitur. Vide, ne dum ad cacumen peruenire contendis, cum ipsis ramis quos comprehenderis decidas. Leo etiam aliquãdo minimarum auium pabulum fuit; & ferrum rubigo consumit. Nihil tam firmum est cui periculum non sit etiam ab inualido. Proinde fortunam tuam pressis manibus tene: impone felicitati tuæ frenos: facilius eam reges.*

Hæc cum nuper a me, nescio qua occasione dicta audiuisses FRIDERICE nobilissime, rogare me vt illarum artium quas tantopere in aulico necessarias esse dicebam, notitiam tibi traderem, non desiisti. Ego, quod scirem ad vitam recte etiam priuatim agendam, ne dum

ad grauissimam Aulici personam, multa requiri id ab initio detrectare; sed postea re melius perpensa, annuere cœpi: vt hac exigua illa quidem ratione, sed a non exigua in te pietate profecta, animum erga te meum declararem, tibique, quantum possem, vt vitæ consilia ad exactissimam prudentię normam dirigeres, omnesque tuas actiones, veræ virtutis perfectique officii ratione metireris, auctor essem. Spero autem me & tuis optatis, & meis tui iuuandi desideriis, paucis satisfecisse.

Plutarch. in Lycurgo.

Ante omnia autem *Educationem* plurimum posse, eaque ingenia corrigi distorquerique solere, Lycurgus suis ciuibus eleganti spectaculo comprobauit. Cum enim duos iisdem parentibus catulos educari iussisset, alterum quidem ad venationem; alterum, ad ingluuiem domesticam: vtrumque postea in theatro exhibuit: deinde ollas carnium apponi, ac viuum leporem dimitti iussit: repente venaticus in leporem, culinarius in ollas irruit. *Educatio & disciplina* (inquit Sacra pagina) *mores faciunt: & id vnusquisque sapit, quod didicit.* Ideo Seneca,

neca, *Proximis*, inquit, *applicatur omne quod tenerum est, & in eorum similitudinem crescit.* Apud Platonem educatus puer, quum ad parentes relatus, vociferantem audiret patrem: *Nũmquam hoc*, inquit, *apud Platonem vidi.* Faciles ad vtrãque viam puerorum animos natura gignit, vt cum ducem nacti sunt, vel ad honestatem, vel ad turpitudinem non admodum repugnãtes sequantur. Prodest plurimum bona natura; sed tum maxime, cum ad honesta educatione flectitur. in solo fœcundo plus cultor sæpe, quam ipsa per se agri bonitas, efficit. Danda igitur opera illi qui ad magna peruenire contendit, vt moribus quam optimis imbuatur, vt non in delicato, sed simplici victu; non otio, sed labore; non in luxu, sed rerum omnium parsimonia; non in temeritate & audacia, sed modestia & verecundia; non in licentia, sed timore; non in voluptatibus, sed in liberalibus disciplinis primã eam ac teneram ætatem traducere adsuescat. *Vtinam* (ait Quintilianus) *liberorum nostrorum mores nõ ipsi perderemus: infantiam statim deliciis soluimus. mollis il-* Seneca De ira.

la educatio, quam Indulgentiam appellamus, neruos omnes & mẽtis & corporis frãgit. quos enim virtutum fructus adulta iam ætate laturum eum animum sperare possumus, qui a teneris vnguiculis vitia statim imbibit? quid non ætatis progressu concupiscet, cuius infantiam parentes auro, argento, purpura, holosericis vestibus exornant? quam in adolescentia temperantiam præstare poterit is, quem puerum, atque adeo infantem, parentes conquisitissimis epulis, & omni genere obsoniorum saturant? qua ratione sobrius in reliqua vita fiet ille, quem a pueritia parentes ebriosum efficiunt? Recte Horatius:

Angustam amici pauperiem pati
Robustus acri militia puer
Condiscat, & Parthos feroces
Vexet, eques metuendus hasta;
Vitamque sub dio, & trepidis agat
In rebus.---

Ideo Platonem, grauissimum illum honestatis præceptorem, videmus in omnibus fere dialogis suis, parentes inprimis ad recte liberos educãdos adhortari. Primam enim & maximam Reip. curam in iuuentute liberaliter instituenda consistere iudicabat: quæ deinde pa-

parentibus ſuccedens, vniuerſam Rēp. & prudentia & morum integritate non ſolum tueatur & conſeruet, ſed etiam exornet, atque amplificet. Fuſius hæc tecum agere ſuperuacuum duco. a parētibus .n. tuis ita educatus, a præceptoribus ita inſtitutus es, vt nihil amplius requiri poſſe videatur. nam vt iam de nobili familia, quæ magnum ornamētum, immo fulcimentum eſſe ſolet: de apta membrorum tuorum compoſitione, præſtantique oris figura & dignitate: vt & de moribus nihil dicam: *litteris* Latinis, quibus hodie Reges populique, qui de pace, de bello, de fœderibus, aliisq; magni momenti rebus agunt, vtuntur, erudiri voluiſti: artium optimarum & ſcientiarum principia didiciſti: inprimis pietatis fundamenta, quod omnium apex eſt, hauſiſti: Iuriſprudentiæ capita delibaſti: vnicum hoc reſtare videtur, vt ita peregrineris, vt externos mores, diuerſas ciuitates & linguas, Gallicā præcipue & Italicam, adminiſtrationumq; genera, diligenter animaduertas: (exacuitur enim & quaſi vſu exterorū ſplēdeſcit ingenium, prudentiaque com- *Caſtill. lib. 1.*

paratur) tum his *historiarum* cognitio-
Quintil. lib. 12 Inst. cap. 4. nem adiungas. Nam sine hac vix grauẽ vmquam personam sustinere poteris. *Quemadmodum enim senex iuuene prudentior habetur, quoniam per plures annos quæ fierent, vidit: ita etiam fatendum est prudentissimum illum fore, qui non ætatis suæ modo, sed & præteritarum quoque gesta cognouerit.* Quid enim aliud est prudentia, quam euentorum obseruatio, rerumque præsentium ac futurarum ex præteritis tãquam ex fonte sciẽtia deriuata? Speculum ciuilis vitæ historia est; in quo Heroes, Principes, nobiles, & quotquot Reipubl. & imperiis destinati sunt, se contẽplari debent; sed & milites. Si cui forte (exempli gratia; quod sæpe accidit) suorum fides suspecta erit; summopere proderit legisse, qua dexteritate inter alios Diodorus Amphipoli Thraceas emiserit: itemque si miles ad prœlium fuerit incitandus; quanto vsui erit scire, quo artificio Agesilaus ad Orchomenum, Archidamus in Italia, aliique suis pugnandi studium iniecerint? Si tẽpus pugnæ captabitur, historiarum gnarus faciet, vt Lysander ad Hellespon-
Plutarch. tum:

tum: Si locus, vt Xantippus in Africa. Vbi aciem instruet, mille modis peritissimos rei militaris Lacedæmonios imitabitur. Quum insidiis pugnare malet, Timotheum & Iphicratem sequetur, vel etiam Hannibalem imitabitur. Victor, effugium hosti dabit, ne desperatio audaciam pariat; vt Xerxi Themistocles. Victus, quandoq; hostem fraudabit, vt in Hispania Romano disperso exercitu Viriatus & Sertorius. Quod si oppidum aliquod expugnandum accedet, (quæ res ob difficultatem summum inter bellicas artes obtinet gradum) vel deceptis propugnatoribus, vt Aristippus Tegeam: vel cito ad inopiam redactis, vt Alexander Leucadiam: vel aquis auersis & medicamento infectis, vt Clisthenes Tritæam: vel educto præsidio, vt Pyrrhus Illyriorum metropolin: vel aduersa parte oppresso, vt Alcibiades Cyzicum, & Thrasybulus Sicinum: vel recessu callide simulato, vt Epaminondas Mantineam, & Phormio Chalcidē, expugnabit. Contra, si obsidione laborabit, ne quid tale sibi eueniat, cum his, tum aliis sexcentis id genus clarissimo-

Front. lib. 2.
Polyænus 3.
Liuius.
Pausan.
Plutarch.

rum ducũ exemplis cauebit: cognoſcet locorum, montium, fluminum, vallium naturas, vrbium ſitus, loca idonea ad caſtra ponenda, ad aciem inſtruendam, ad manum conſerendam. Diſcet quot ſint genera militiæ; quid in militum delectu obſeruandum; quid in militum exercitatione: quid in ordine caſtrenſi: quid in caſtrametatione: quid in excubiis militum circa caſtra: quid in vrbium propugnatione vel oppugnatione: in quonam noſtri duces exercitus, in ordinanda acie videãtur eſſe diſſimiles antiquis: vtrum pedeſtres copiæ ſint magis æſtimandæ quàm equeſtres: vtrum vniuerſo exercitui pręponẽdus ſit vnus, an plures. Denique illud in ſumma ex tot hiſtoriarum voluminibus colliget, vt intelligat viciſſitudinem eſſe in rebus omnibus, ac ideo nec ſecundis nimium tollatur, nec aduerſis frangatur. Pluribus exemplis vſus ſum, quia hiſtoriæ vtilitas ſatis inculcari nequit; iisque bellicis, quia ars militaris Palatinum inprimis decet & ornat. L. Lucullum Cicero ſcribit profectum Româ, rei militaris plane rudem: quũ totum iter & naui-

Caſtill. lib. 1.

gati-

gationem consumsisset partim in percontando a peritis, partim in rebus gestis legendis, in Asiam venisse factum Imperatorem tantum, vt Mithridates, rex post Alexandrum maximus, hunc a se maiorem ducem cognitum, quam quemquam eorum quos legisset aut vidisset, fateretur. idem de aliis multis dici potest. ideo Honorium Claudianus ad lectionem historicam his adhortatur verbis:

-- nec desinat vmquam
Tecum Graia loqui, tecum Romana vetustas.
Antiquos euolue duces, adsuesce futuræ
Militiæ, Latium retro te confer in æuum.
Libertas quæsita placet? mirabere Brutū.
Perfidiā damnas? Metii satiabere pœnis.
Triste rigor nimi⁹? Torquati despice mores.
Mors impensa bonum? Decios.---

& quæ sequuntur. Vnum addo: cū maxima sit historicorum copia, *delectū* habendū. Apud Græcos excelluerūt Thucydides, Xenophon, Polybius, Plutarchus, Nicetas: apud Romanos, Liuius, Tacitus, Salustius, Cæsar, Q. Curtius, Suetonius: nostro seculo, apud Italos

Guicciardinus, Coneſtagius: apud Gallos, Cominæus: apud Germanos, Sleidanus. Hi ita legendi ſunt, vt non ſolum quid, ſed etiam qua occaſione, quo modo, quando, quo rerum ſtatu dictum factumve ſit obſeruemus. Porro ſine *Geometriæ* cognitione intelligi hiſtoria nõ poterit; quæ magno quoque vſui erit ad ciuitates, caſtella, arces, domus, agros dimetiendos; ad caſtra ponenda, ad colligendas turmas; ad omnes deniq; machinas, quibus in exercitu vel itinere vti ſolemus. nam baliſtæ, & reliqua lapidũ tormenta ad oppugnandum propugnãdumq; idonea, ex hac diſciplina maxime proficiſcũtur. Ad *Eloquẽtiam* quod attinet, ea aulico ſufficiet, quæ ſenſa animi aperiet proprie & pure. omnes Rhetorum arcas euoluere nolo: pigmenta orationis aliis relinquet, & preſſa potius atque arguta, quam multiloqua & vaga Rhetorica delectabitur. Hac ad extemporalitatem vsque promptum eum eſſe cuperem. Mirum dictu eſt, quantopere bene dicẽdi ſtudium, quod omnia quæ prudenter concepta ſunt, audientium auribus breuiter ſumma cum iucũ-

ditate

ditate repræſentat, magnis viris ſemper placuerit. id quod ex quamplurimis percipi poteſt: qui quidem cum nec eximius eos vllus generis ſplendor, nec ſummus diuitiarum fulgor, ſed elegans ſolum ipſa dicendi ratio commendaret, ad aulas cum acceſſiſſent, in iis glorioſiſſime floruerũt. De *Muſica* quęri hîc video: non quidem de illa mundana, quæ ex cæli conuerſione, elementorum compage, & temporum varietate colligitur: neq; de humana, qua corpus hoc noſtrum animæ ſociatum eſt, quaque animæ partes inter ſe conueniunt, & rationi parent; quamuis nec iſtæ ignorari debeant: ſed de ea Muſicæ ſpecie, quæ inſtrumentis vel naturalibus vel artificialibus ex hominis ingenio conficitur: De qua ita ſtatuere plerosque video, Muſicæ odium eſſe immanitatis argumentum. Nos autem ita rẽ decidamus. Cum illarum artiũ quas Curialem ſcire conuenit, nonnullæ reperiantur, quæ nullo modo ab illo tractandæ ſint, quædam vero mediocriter attingendæ, aliæ ſummo ſtudio colendæ: hanc ex illis diſciplinis eſſe, in quibus mediocre i-

psius studium erit. Nimium in vituperatione ponetur. Audio hîc mussitantem, mihique obiicientem, multos excellenti animo atque virtute fuisse, etiam sine doctrina, solo naturæ habitu. At demus sane nonnullos sine litteris emersisse, inque præstantes viros euasisse: an ideo sperandum est, reliquos omnes horum vestigia sequuturos; aut, si velint, adsequuturos? id enim verissimũ est quod ait Satyricus:

Horat.

Forsitan hæc spernant iuuenes, quibus arte benigna
Et meliore luto finxit præcordia Titan,
Sed reliquos fugienda patrum vestigia ducunt,
Et monstrata diu veteris tenet orbita culpæ.

Non ideo pontes, qui communes hominum vsus gratia ruri fiunt, rescindẽdi sunt, quod nonnulli reperiantur qui fossam aut riuulum saltu facile superent. Ponit quidem Homerus sapientem sine litteris Nestorem: sed ipsi portentosam attribuit senectutem: quæ instar multarum historiarum obtinet.

Hactenus de animi, nunc de *corporis* exer-

exercitiis. nam recte Plato duas ciuitatibus artes necessarias esse iudicauit, Gymnasticen & Musicē: hanc quidem, animorum; illam vero, corporum nutricem. Qui Gymnasticen negligunt, corporeis viribus languere: qui Musicen (id est, litterarum studia) aspernantur, rudes ac barbaros fieri: qui ab vtraque deseruntur, & ignauia corporis, & mentis inertia torpere necesse est. Porro exercitiorum species multas enumerat Plautus: *Plato.*

Cor dolet mihi, quom scio nunc vt sum, atq; vt fui olim: quo neq; *Plaut. Mostell.*
Industrior de iuuentute erat arte gymnastica, disco, hastis, pilo,
Cursu, armis, equo; victitabam volupe parsimonia & duritia.

Et Virgilius: *Virgil. Æn. 7.*

Exercentur equis, domitantque in puluere currus;
Aut acreis tendunt arcus, aut lenta lacertis
Spicula contorquent, cursuque ictuque lacessunt.

Romanam igitur iuuentutem equis, hasta, claua & pila, lucta, venatione, cursu

exerceri, vetus consuetudo fuit; pariter sudem torquere, arma tractare: exerceri item iactu disci, saltu, iaculatione vel cæstu. Eratq; SC^to cautum vt, nisi his ludis, in pecuniam ludere non liceret. Græcis octo fuerunt ludi, quibus iuuentus exercebatur impune: stadium, diaulus, dolichus, hoplites, pygme, pancratium, pale, & halma, hoc est saltus. Hæc priscis illis temporibus iuuentutis exercitationum genera erant: ad quæ non tam Aulico respiciendum, quam ad ea quę Principibus hodie vsitata sunt. Inter alia est elegans *equitandi ratio*, quã hodie Itali, & inter eos Neapolitani ad vnguem tenere videntur. Hæc cum in pace iucunda, in bello vtilissima, immo necessaria sit, a teneris annis ita Aulico percipienda erit, vt non solum equis cũ gratia insidere, eos cursu & recursu incitare, sistere, de via deflectere, per salebras iis decurrere, denique & in orbem agere, & ad omne opus bello necessarium vsurpare sciat: sed etiam perfecte naturã equorum teneat. Exempli gratia; qua forma legi spectarique oporteat: quomodo pedes probandi: quid significent

Vide Paschalem Caracciolum & Cortem.

ficent

ficent vngulæ crassę, quid humiles, quid valde erectæ: quid tibiæ caprearum more erectæ: quid coxæ anteriores pingues vel macilentæ: quid pectora latiora: quid si ceruix more apri prona procumbat: quid si more galli recta sit: quid colli protensio: quid nares apertæ: quid oculi prominẽtes sibi velint: vnde maxillæ molles duræve cognoscantur: quomodo pullus curandus: quæ cautiones in emendo equo; quale domi stabulum esse debeat: quot genera frenorum sint, & quod cuique conueniat: quomodo immittendum: quid in strigili obseruãdum. Hæc & alia huius generis Aulico apprime necessaria: tum, quod coram Principibus sæpenumero eiusmodi de rebus sermo habeatur: tum, vt sibi etiam consulat, si quando hastiludiis & aliis certaminibus exercere se cum laude velit. Non minus in iuuẽtute Aulico colenda *pedestria exercitia*, quæ fiunt gladiis, hasta, missilibus, iaculando, luctando, currendo, pila ludendo. his namque corporis dexteritas comparatur. Et certum est plurimum solere tribui venustæ concinnitati & elegantiæ, tum apto mo-

tui. Scribit Xenophō etiam Socratem ſæpe ſaltare deprehenſum fuiſſe. Addit Lucianus ipſum iam natu grādiorem nō veritum eſſe ſaltationem inter ſerias habere diſciplinas. Epaminondas Thebanus, vir fuit omni virtute præſtantiſſimus, omnesque artes ac diſciplinas calluit, quę ad ſummum Imperatorem pertinent. is poſtquam adoleuit, palęſtræ operam dare cœpit, non tam magnitudini virium inſeruiens, quam velocitati agilitatique corporis: illam quidem ad athletarum vſum, hanc autem ad belli vtilitatem exiſtimans pertinere. exercebatur igitur cottidie mane currendo deſiliendoque: veſperi autem, luctando, vt ſtans aliquando in armis hoſtem contra ſe ſtantem complecti, locoque exturbare poſſet, vel terræ illidere, aut fugientem ſaltu curſuque adſequi. Hiſce autem exercitiis Aulicum noſtrum adeo præſtare vellem, vt quicquid ſpectante Principe vel populo adgrederetur, id tam exacte perficeret, vt vni illi rei ſtuduiſſe videretur: alioqui non facile eum in arenam deſcendere cum aliis vellem: cum tutius tum ſit ſe excuſare, quam populi

Plutarch.

populi iudicium ſubire. Abſurdum eſt artem profiteri, quam quis non calleat.

Caue adgredi quæ perficere vires negant.

Aleæ luſum vitandũ hîc moneo. ad hũc enim ſcopulum naufragia multi fecere, ſic vt vix licuerit enatare nudis. Eſt enim hic luſus, vt recte doctiſſimus quidam ait, altor otii, magiſter ignauiæ, inſtrumentum auaritiæ, rei familiaris euerſio, rixæ materia, morum pernicies, dignitatis labes, & inſignis ignominiæ. *Castill. lib. 2.*

Quum vero Principes ſummopere *venationibus* delectari ſoleant, & aucupiis, vt canum notitiam auiumq; habeat, requiro. Sciat quinam ad indagãdas, propalandas capiendasque feras apti ſint; qui velociſſimo curſu eſſe ſoleant, & qui ferociſſimi; quomodo canes ſint alendi, & qui color in canibus melior cenſeatur; quot terreſtrium animalium advenatum genera ſint; quomodo & quibus temporibus venandum: quotnam accipitrum genera ſint, quinam hierofalcones, vel ignobiles ſiue villani, qui mediani dicantur, quomodo alendi inſtituendique vt aduerſus volantes alites artificioſe dimittantur, ſurgentes e terra *Vide Bellisarii De venatione & aucupio.*

quamprimum rapiant, & per apertum volantes, aut in sublime sese efferentes inuadant; postremo ad notam heri læuam redeant: vt si aulicus a Principe his de rebus interrogetur vel iubeatur, solide respondere & agere possit.

Atque hæc de vtrisque tam corporis quam animi exercitiis dicta sint: Superest vt de *morum concinnitate*, quam Cicero ornatum vitæ & decorum appellat, quæ admirationem hominum mereri & beneuolentiam conciliare solet, pro instituti ratione paucis disseramus. Nam quemadmodum pulcritudo corporis apta compositione membrorum mouet oculos & delectat: sic & hoc decorum quod elucet in vita, incessu scilicet, motu, gestu, sermone placido, vestimentorum ornatu. *Vt vinum austerum* (inquit Socrates) *non est aptum potioni: sic mores agrestes non apti sunt hominum conuersationi.* Non sufficit facere, sed hoc insuper requiritur, venuste facere. Q. Hortensius plurimum in corporis decoro motu repositum sciens, pene plus studii in eodem laborando, quam in ipsa eloquentia impēdit. Itaque *nescires*, ait Valerius,

Plutarch.

vtrum

vtrum cupidius ad audiendum eum, an ad spe-ctandum concurreretur: sic verbis oratoris aspectus & contra, seruiebāt. Recte. Enimuero vt sæpe obsonia, licét optima, non sapiunt, si intinctus aut absit, aut vitiosus sit: sic quamuis sæpe mores alicuius nobis non obsint, tamen quia τὸ ἀρτύον (i. cōdimentū) abest, summe displicent. Sit igitur Aulici *incessus* nec tardus nec concitatus nimis, nec vacillans; sed grauis; & tamen non adfectatus. Videmus per plateas festinantes (præterquam quod leuitatem denotent) defatigari, sudare, anhelare; quæ vultus mutationem pariunt, ac proinde minus conueniunt. Pari ratione totius *corporis motum* non leuem, non rusticum, non petulantem aut palæstricum, sed grauem esse volo. Et quia *Sermo* mentis character est, in eo decorum obseruabit personarum, locorum & temporum: aliter cum Principe, aliter cum æqualibus, aliter cum minoribus loquendum. Sit decēs habitus, sit gestus simul cum sermonis decoro congruens; ita vt nec pedibus nec manibus gesticuletur, sed oculis intentis secum loquentes audiat. Est eiusmodi in lo-

Vide Galateum de Morib.

quēdo elegantia indicatio interioris virtutis, quæ perpetua esse non potest, nisi optima animi inductione emergat. Multa quidem fingi gestu, vultu, oratione possunt, quæ in animo nusquam sunt; sed ea diuturna esse minime possūt. Cernitur & decorum in *Vestitu.* Detestandi nonnulli aulici sunt, qui mulierum vel potius meretricum instar cincinnis crispatum capillitium gerunt & barbam, & se mulierum ornatui, immo & voci accommodare student. absint omnia quibus effæminari quis potest.

Qui corpori studet nimis, negligit animum.

Sit igitur vestitus Aulici conditioni & regioni in qua versatur, cum decoro accommodatus; sed & ipsius corpori; ne alterius forte vestibus indutus videatur; quas respectu loci, caussæ, ætatis, temporis, arte mutare sciet, & ne vel bene vel male oleant cauere. vtrumque in vitio est:

Martial. *Bene olet qui nihil olet.*
Non bene olet, qui bene semper olet.

Hæc quæ in Aulico requiri diximus, maximi momenti esse nemo inficiabitur.

tur. verum ea quæ iam ſequuntur non minoris æſtimanda, tantoq; accuratius obſeruanda ſunt, quod in ea præcipue peccare hodie quamplurimos videmus. Primo autem quo pacto ſe *erga Principē*, poſtea quomodo ſe *erga pares*, ad (quantum poteſt) inuidiam vitandam, gerere debeat, faciente Deo videbimus: ita tamen vt in dicendo breuitas, cui inprimis ſtudemus, eluceſcat. Ante omnia id ab Aulico requiro, vt talis reuera ſit, qualis Principi vel aliis videri vult. nihil in eo fucatum, nihil non apertum ſit. nō a mente lingua diſſentiat, non ſimulandi vlla arte vtatur, ſed circa Principem præcipue recluſum pectus gerat:

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς ἀΐδαο πύλησιν, *Homerus.*
Ὅς χ᾽ ἕτερον μὲν κεύθῃ ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ εἴπῃ.

Hoſtis enim ille mihi perinde ac inferorum portæ,
Qui aliud quidem celat in præcordiis, aliud vero dicit.

Fieri non poteſt, vt ſimulatum (quod & paullo ante diximus) ſtabile ſit. nam ſimulationis vna eademque ſemper facies eſſe nequit. *Nullum mendacium* (vt eſt apud Euripidem) *ſeneſcit.* Recte Ariſtot.

Falsum bonum, in principio; verum malum, temporis progressu conuinci. Hæc est vera dementia (inquit Cyprianus) *non cogitare, nec scire, quod simulationes non diu fallant: noctem tam diu esse, quam diu non elucescat dies: clarificato autem die & Sole oborto, luci tenebras & caliginem cedere.* Et vt breuis admodum mulieris fucatæ gratia est: (nã halitu primo fucus inæqualiter difflatur, & ipsa facies maculosior redditur) sic quum simulatores (quod facile fieri potest) speciem illam amittunt, dum minus exspectabatur, infames magis fiunt, inque Principis aliorumque suspicionẽ & odium incurrunt. *Sicut sepulcrum,* (ait Chrysostomus) *quamdiu clausum est, pulcrum videtur foris; apertum autem, horribile est: sic simulatores quamdiu non cognoscuntur, laudabiles; quum autem cogniti fuerint, abominabiles sunt.* Theophrastus Chius, venit legatus Lacedæmonem, vir alioqui iactator & lasciuus, vt qui senectutẽ dissimulans, canos infecerat. Archidamus igitur surgens, *Quid,* inquit, *pro sano dicet qui etiam capillis mentitur?* Merito igitur Æschylus in cælum laudibus Amphiaraum summum illum augurem eũ-

Ælian. de var. hist.

dem-

demque sanctiss. virum tollit. inquit enim ipsum *non studuisse*, quod multi faciunt, *vt videretur optimus*, *verum vt esset.* At demus simulandi artificium nonnullis ad tempus saltem bene cessisse; accidit nihilominus illis quod mercatoribus, qui præsentis vtilitatis specie illecti, aliquem fraudant. nam quamuis fraudulenter auertant, animo tamen securo non possident, & omnes sibi vias amplioris vtilitatis intercludunt. nemo commercium habere cum eo vult, quem simulare solitum scit: ipsi autem miseri ex inanitate pendent. Ex falsa enim voluptate, verus dolor exsistit; ex honore falso, verum dedecus exoritur; ex vtilitate falsa, vera pernicies sequitur. Omitto quod pietati illud Christianæ, quæ tota in simplicitate animi fundata est, maxime aduersetur. Fundamento hoc iacto, in Aulico *adsiduitatem & diligentiam* necessario requiri dico. *Hæc præcipue colenda est nobis*, inquit Antonius apud Ciceronem: *hæc semper adhibenda: nihil est quod non adsequatur. nam quæcumque sunt in cura, attentione animi, cogitatione, vigilantia, labore; vno verbo diligentiæ complectimur:*

qua vna virtute omnes virtutes reliquæ continentur. Præclarum quidem eſt, etiam per fortunam inter nobiles admirationi eſſe: ſed multo præſtantius eſt induſtria ſua, quicquid glorioſum ac illuſtre ſit, adeptum eſſe: illa enim ſceleratis etiam interdum ſe obiicit: *huius autem* (vt bene Demoſthenes) *ſocietas & communicatio nemini adeſt, niſi qui generoſo animo atque forti excellat.* Queri ſæpe aulicos videmus, quod quum ſumma obſeruantia Principes ſuos venerentur, ab illis tamen minus diligantur. quî fit? facilis reſponſio eſt. nā queadmodum ſol ſe habet ad ſubiecta ædificia; quæ quidem eodem lumine pariter illuſtrat, ſed ea illuſtriora videntur, quæ plures ac patentiores habent feneſtras: ſic Princeps aulicos illos clariores reddere conſueuit, quorum ingenia per virtutem & ſummam diligentiam ad res gerendas magis idonea eſſe cernuntur. Recte Tacitus: *Quanto quis obſequio promptior, honoribus & opibus extolletur.* Fieri haud poteſt, vt Princeps, quem mandata ſua diligentiſſime exequi cernit, eum præ ceteris non amet, non extollat, ei præ
cete-

ceteris non fidat. Demus aulicũ haud recte quid fecisse; si diligẽter factum apparebit, excusationem merebitur: non contra. Nullus enim est Princeps, qui sua negligenter tractari velit. adde quod negligentia, Principis contemtum præ se ferat. Neque quemquam labor, qui a diligentia separari nequit, deterrebit. amaræ quidem radices; fructus autem sæpe dulcissimus.

Vt perfruare dulci, amari aliquid feras.

Facile generosus animus, quem labor ipse nutrit, qui noctes atque dies gloriæ stimulis concitatur, quem nulla difficultas deterrere, nulla vis labefactare potest; emicat ipse per sese,

--velut inter ignes
Luna minores;

quum interim tenebricosus ille alter, ignauia proiectus, lutulentis in vitiis, tamquam sus in volutabro cœni, iaceat, nihil aliud quam putrida caro, saturandis vermibus reseruata: qui nihil dignum homine cogitet. Diligentia itaque (vt ad rem) id adsequetur

Aulicus, vt suo sæpe Princeps ministerio vtatur: cuius autem opera Principes vti solent, eos præ ceteris quoque amore & gratia complecti consueuerũt. *Non mirandum est*, vt alibi Demosthenes, *eum qui laborem non detrectat, & rebus gerendis omnibus adest, neque vllam occasionem neque momentum rei gerendæ prætermittit, vobis negligentibus superiorem esse.* *Vigilando* (ait apud Salustium Cato) *agendo, bene consulendo prospere omnia cedunt; vbi socordiæ te atque ignauiæ tradideris, necquicquam Deos implores, irati infestique sunt.* Ceterum diligentem vocabimus Aulicum, qui à re sibi demandata oculos numquã deiicit: qui in id vnum incumbit, hanc vnam rem spectat, ne quid detrimenti Princeps capiat; qui nullis laboribus, nullis periculis parcit; sed potius in perpetua quadam vigilia manet. qui si ad Principem forte alium mittatur, naturam moresque Principis, eius vires, potentiam, dicionem, vectigalia & ærarium, coniunctiones & affinitates, omnẽque formam administrationis obseruat; vt & nomina illorum qui summum in aula illa locum tenent: idque tum a-

liis,

liis, tum etiam hac de caussa, vt si a Principe suo interrogetur, omnium rationẽ commode reddere possit. caueat sibi tamen, ne speculator potius quam legatus videatur. Ex his sequitur, ea quę nobis a Principe nostro mandantur, non solũ summo studio curari debere omnia, sed neque aliter quam mandata sunt. quod adeo verum est, vt etiam eadem (quantum fieri potest) verba seruanda sint, vbi verbis opus est. Hæc nimirum caussa est, cur Homerus legatos suos vno verborũ contextu loquentes facit; quod & Virgilius obseruauit; apud quẽ Mercurius eosdem versus repetit:

Si te nulla mouet tantarum gloria rerum,
Nec super ipse tua moliris laude laborem,
Quid struis?

Hæc quamuis ita sint, quæri nihilominus video, An eo saltem casu fines mãdati præteriri possint, si id ex re Principis fore existimemus; vt cum fortuito aliquid interuenit, quod mandati sui tẽpore Princeps ignorauerit. De hac quæstione, quia res non parui momenti est, liceat nobis fusius, quam instituti ratio

postulat, agere. Dubitationem mouet, quod qui a Principis mandato recedit, etiamsi ex malitia & superbia id minime agat, videtur dominum contemnere, vel se saltem suamque prudentiam maioris facere; quod odiosissimum est. Deinde (quod facile euenire potest) si res ei cui mandata est, ex animi sententia non succedat, culpa impatientiæ & pœna indeprecabilis subeunda est. quod si vero melius forte vertat, fortunæ id beneficium censetur. Itaque in rerum publicarum administratione non fuit impune ei qui contra mandatum Imperatoris, quamquam egregie & feliciter rem gesserat. quod Manlius Torquatus domestico exemplo docuit. *Triste* (subdit Liuius) *exemplum, sed in posterum salubre iuuentuti.* Vnicum P. Crassi Muciani adducam; qui cum in consulatu Asiam prouinciam obtineret, & in cuiusdam oppidi oppugnatione firma aliqua trabe ad arietem indigeret, ad architectum molis Atheniensium scripsit, vt maiorem ex duobus malis quos apud eos vidisset, mitteret; qui re perpensa, minorem, vtpote arieti faciendo aptiorem,

Liuius 8.
Agell. 1. 13.

rem, contra quam iussus erat, misit. ibi Crassus hominem accersiri, auditisque rationibus virgis cædi iussit. Seuere nimium; inquiet quis. architectus enim rē vtiliorem ex artis suæ præcepto se facturum existimabat, nec tam verba quam scopum Cōsulis intuebatur. Hæc concederem, si consilium Crassus petiisset, non obsequium. Architectus finem Cōsulis scire non potuit. At de ariete scripserat, nihil refert. id enim fortasse consilii sui tegendi causa addiderat. *Corrumpitur* (inquit Agellius) *atq; dissoluitur officium imperantis, si quis ad id quod facere iussus est, non obsequio debito, sed consilio non desiderato respōdeat.* Ex his colligere licet, nihil agendum, nihil dicendum, præterquam quod á Principe imperatū est. Ego tamen distinctione totam hāc quæstionem decidēdam puto. aut enim tēpus ei suppetit, quo Principē, eius quod de nouo emersit, certiorem reddere, & alterum mandatum exspectare possit: aut res ipsa nulla ratione differri potest. Illo casu, non dubitarim quin res Principi aperienda sit: periculosum nimis est fines mandati egredi. *Octau. Maggius.*

Quod si negocium moram istam nō ferat, in re quidem parui momenti, vtut res cadat, tutius est mandato adhærere: vix dici potest quantopere inobedientia Principib⁹ displiceat. Si vero res grauis sit, damna quæ inde emergere possint, diligentissime perpendenda, & ne fallatur opinione, opera danda; illudq; postea consilium capiendum quod in manifestam Principis dignitatem vel vtilitatem vergat; cuius caussæ statim per litteras Principi significandæ. Quod si vtilitas dubia sit, haud facile quid extra mādatum tentandum: ne, si quid aduersi contingat, fama periclitetur. Solent enim vulgò non facta, sed euenta notare. Atque hæc de Aulici diligentia. vbi notandum, Minus adfectatam & ab ostētatione remotiorem diligentiam commēdabiliorem esse: vt in Pisone recte Paterculus notauerit; *Eā quæ agenda sunt egisse, sine vlla ostentatione agendi.* vt contra: *Nimiam diligentiam*, id est, curiositatem, homines odiosos reddere. *Curiosum* (inquit Cicero) *est, ea scire velle quæ ad nos non pertinent:* quod hominem vel leuem admodum, vel parum sincerum denotat. Non

risum,

risum, sed bilem mouere solent ii qui cũ Principem cum altero quopiam submissius loqui animaduertũt, accedere propius (vt ipsi quoque quid noui dicatur intelligant) sed & in litteras quas quandoque Princeps legit, capite inclinato oculos figere non verentur. Recte Socrates: *Vt ab iis edulijs quæ ad edendum etiam non esurientes illiciunt, cauendum; & a potu, qui etiã non sitientes ad bibendum inuitat: Sic fugienda sunt spectacula sermonesque, qui pelliciunt sui desiderio eos ad quos nihil attinent*, id est, curiosos. Sapiẽter Philippides Lysimacho regi percontãti, *Quid tibi meorum communicabo? Quidlibet*, inquit, *modo ne arcana.* Et quia de *arcanis* mentio facta, dicimus Aulicum Principis arcana, tum vel maxime sibi cõmissa, nemini reuelare debere. *Plutarchus.*

Arcanum neque tu scrutaberis vllius
vmquam,
Commissumque teges & vino tortus
& ira.

Vetus Regum disciplina silentium vitæ periculo sanxerat. lingua meritò magis castigatur quam vllum probrum: ideo Persæ arcana Regum mira celant fide:

non metus, non ſpes elicit vocem qua prodantur occulta. *Nec magna ab eo res ſuſtineri poſſunt, cui tacere graue ſit: quod homini facillimum voluerit eſſe natura*; vt ait Q. Curtius. Ridiculi plane ſunt qui, vt magna ſe in gratia apud Principem eſſe oſtendant, quid quolibet die in Principis cubiculo factum ſit, ad exemplum Thraſonis Terentiani referre gaudent. alii inter pocula omnia referant: quod Tiberio, maximo licèt ſimulatori, vitio datum eſt. Quanto melius Zeno? Regios legatos Athenis conuiuio exceperat quidam, adhibitis etiam Philoſophorum pleriſque. quum autem (vt adſolet) multa hinc inde dicerentur, Zeno interim tacitus ſingula obſeruabat. tum legati feſtiuiter ſubblandientes ac propinantes, *De te vero*, inquiunt, *Regi quid vis renuntiari?* At is: *Senem a vobis conſpectum Athenis, qui inter pocula ſeruare ſilentium poſſit*. Recte. Difficillimum eſt e manu emiſſam auem recipere: ſed dictum ſemel ab ore profectum, quod multarum ſępe cladium cauſam præbet, difficilius. *Non vt nauem arreptam fluctibus* (ait Plutarchus) *anchorâ licet ſiſtere*:

Suetonius.

Plutarchus De garrulitate.

ita

ita verbum e portu velut in altum missum. Vnde est illud, *Qui custodit os suum, custodit animam suam: qui inconsiderate loquitur, sentiet mala.* Laudis est, bene loqui. non minoris laudis, bene silentio vti posse.

Multum ille adsecutus est qui bene didicit loqui: M. Muretus.
Qui bene tacere, non minus adsecutus est.

Loquendi temeritatem non cordis modo peruigili curâ, sed & dentium vallo natura circumscripsit obsepsitque. Aristoteles cum Callisthenem discipulum ac propinquum suum ad regem Alexandrum mitteret, hoc vel præcipue imperauit, *vt quam rarissime & iocunde admodum apud eum loqueretur, qui vitæ necisque potestatem in acie linguæ haberet.* Præclarum hoc nonnulli existimant, si numquam sileant; cum id certissimum fatuitatis signum sit: vt illud Epicharmium non inscite se habeat de eo, *qui cum loqui non posset, tacere non poterat:* vt contra, silẽtium, vbi loquendi tempus non est, prudentiæ est indicium. Agell. lib. 1, cap. 15. Val. Max.

Bene institutũ os, pulcra harmonia est aurib.

Plutarch. de garrulitate. Ægyptiorum Rex, periclitandi gratia cuiusmodi foret in Pittaco prudẽtia, integri animalis carnes ad eum misit, vt quod optimum, quodque pessimum esset, inde secerneret. Atis, vnam modo linguam exemit, ac remisit: quo significare voluit, eo membro ingentium sæpe bonorum latere fomites: idemque, si effrene sit, maximarum cladiũ & scelerum organum esse.

Seneca in Thyeste. *Tacere multis discitur vitæ malis.*

Restat vnum, cuius Aulicum nostrũ admonitum velim, vt, si cõtingat ipsum de priore domino (si quem forte habuit) interrogari, eius non minus honorificam mentionem faciat, quam si ei adhuc obstrictus viueret. Neque ab hac regula dimoueri se patiatur, vt scilicet vel eimaledicat, vel conqueratur, licèt id posterioris heri auribus incũdum existimet; alioqui in duo inconuenientia incidet: vnum, vt Princeps sibi imaginetur, idem sibi ab ipso successu temporis exspectandum: alterum, vt putet sua culpa factum quod splendidius ab altero habitus non fuerit. quorũ neutrum ad Principis gratiam captandam aut conseruandam facit.

cit. Iam pergo. Et quando non aliter ac radius a Sole, calor ab igne, rigor a glacie, candor a niue separari nequeunt: sic, nec ab amore diuelli possunt beneuolẽtia, societas, necessitudo, concordia. hic enim est amabilissimus amicitiæ nodus, princepsque ad beneuolentiam cõglutinandam. Quãdoquidem, inquam, nihil magis animos conciliat quam amoris indicium, operã det Aulicus noster, omnesque neruos eò intendat, vt intelligat Princeps se ab illo amari. *Amor* (iuxta prouerbium) *amorem gignit*. Inhumanum esset non eos vicissim diligere, non eos fouere, a quibus te non mediocriter amari perspicis. *Quid tam absurdum* (ait Cicero) *quam delectari multis inanibus rebus, vt gloria, vt ædificio, vt vestitu cultuque corporis: animo autem virtute prædito, eo qui vel amare vel redamare possit, non admodum delectari? nihil est enim remuneratione beneuolentiæ iucundius.* Huius porro erga Principem beneuolentiæ & adfectionis, quotiescumque occasio ferat, signa velim edi. Vt aurum igne, sic beneuolẽtia fidelis periculo aliquo perspici solet. Non solum in iis quæ maximi

momẽti ſunt; vt ſi pro Principis ſalute vitã exponere, aut alia incõmoda ferre cõueniat; ſed & in cęteris rebus vilioribus licet, ſi neceſſitas poſtulet. Huic rei sũme proderit Principis naturã, & eorum quib⁹ vtitur familiariter, non minus quã ſuã noſſe, & quô inclinẽt obſeruare. Suo .n. quẽq; ſtudio maxime duci perſpicuũ eſt; ac nõnullos quidẽ palęſtra, alios militia, quoſdã aucupium & venatio, alios muſica, alios literę delectãt. Ariſtoteles quã Alexãdri ingeniũ cognitũ habuerit, hiſtoriæ multis exẽplis docent. Amoris ſigna & hęc ſunt; nõ ſolũ Principẽ ipſum, ſed eos omnes quos Princeps obſeruat vel amat, honore adficere & diligere, ac ſe deniq; totũ ad Principis ingeniũ fingere, ita vt cũ illis verſari caueat quos Princeps ſuſpectos habeat. Verum duo hîc tamquam ſcopulos vitari moneo; ne ſcilicet vel *adulari* videatur, vel *adfectare*. *In obſequio* (vt Ciceronis verbis vtar) *comitas adſit; adſentatio, vitiorum adiutrix, procul amoueatur.* Eſt adulatio indicium animi anguſti, mendacis, ignaui, ſeruilis, futilis, humilis, abiecti, qui priuatis odio, Principibus vero ſummo detrimẽto eſt,

to est, quos infatuare solet, immo & in exitium sæpe trahere. Itaque quemadmodum in eum qui in publicum fontẽ, vnde omnis ciuitas aquam ad bibẽdum haurire consueuit, venenum spargit, seuere inquiri videmus: sic etiam in eum qui Principem sua adulatione corrumpit, & ab æquitatis studio ad iniuriam, a continentia ad libidinẽ traducit, quouis licèt magno supplicio animaduertendũ. Nõne Princeps quasi fons quidã est, vnde leges accipiuntur, iudicia postulãtur, virtutis exempla petũtur; a quo auxiliũ contra perditos homines imploratur, & virtuti præmiũ flagitatur? Alterũ quod Aulico fugiendũ dicebamus, est *adfectatio*, quã non adeo odiosam quidẽ esse patet; leuis tamen, immo stulti animi indiciũ magnũ. Sed & habet nimia ista diligẽtia, nimia ista ad Principis volũtatem & studiũ accõmodatio, speciẽ simulationis; a qua longe nos semper abesse oportere, paullo ante diximus. Hæc non ita intelligenda, quasi ex Aulico statuam facere velim: reperiũtur nõnulli, qui, quicquid accidat, siue Princeps rideat siue doleat, ipsi truces manẽt: non aliter ac si cũ Principe pugnis decertare in animo haberẽt.

Agapetus Diaconus.

Nazianz. *Vt echinus*, inquit ille, *in spinis ingreditur; quod spinas secum circumferat: ita quibusdã in omni negotio acerbitas est: propterea quod animo secum adferant asperitatem, etiamsi res ipsa nihil habeat incommodi.* Est reuera morositas ista inimicitiæ similis, quemadmodum contra adfabilitas, amicitiæ. Quis dubitat in rebus prosperis congratulationem optime animati viri indiciũ esse: vt contra, eum qui Principi prosperos euentus non gratulatur, suspectum se reddere, & male rebus præsentibus animatum? *Hoc proprium est* (ait Cicero) *animi bene constituti, & lætari bonis rebus, & dolere contrariis.* Quibus duo hæc addo: vnum, ventos secundos non semper in aulis Principum spirare: quare vbi spirant, arripiendam occasionem:

Fortuna adest, sterte ac reformida nihil.

Alterum, si quid a Principe petere decretum sit, ea præcipue petenda, quæ Princeps sine suo sumptu largiri potest magno.

Iam paucis quid *in æqualium conuersatione* Aulico notãdum sit, persequamur. Primo autem omnium, consultum est vt ea vitet, per quæ in æqualium offensionem

onem facile incurrere poteſt. nam offenſio, iram parit: ira, eſt acris animi vis, ſpecie dedecoris & contemptus vehementius ad vindictam concitata. *Contẽtus formæ* ſecũdum Ariſtotelem *tres ſunt, contemtus ſiue deſpectus, incommodatio, & contumelia.* Nã & deſpiciens contemnit; quæ enim parui facimus, ea deſpicimus, ea contemnimus. Sic qui incommodat, contemnit: quia incommodatio eſt impedimentum voluntatibus oblatum, nõ vt aliquid ſibi, ſed ne illi. poſtremo & qui contumelia adficit, contemnit; quia contumelia eſt, nocere & damnum adferre in iis rebus in quibus dedecus ſuſcipit ille qui patitur, nõ vt aliquid ſibi ſuppetat aliud, quam quod ſuppetit; ſed vt voluptate adficiatur. Ad primam ſpeciem referuntur illi quos ſui oblitos, æqualium ſæpe pudet, eoſque non noſſe ſimulant; vt & ii quos ſi de tuis præcipue rebus alloquaris, aliis intenti, quid dicas non attendunt; item ii quos ſi per vrbem comiteris, & ſplendidioribus veſtibus indutus quiſpiam forte occurrat, confeſtim, etiamſi nullum iis expediendum negotium ſit, hominem accedunt, ho-

Ariſtotel. in Rhetor.

Caſtill. lib. 2.

rasque integras perdunt; te interea, vt exſpectes, relicto. Ad ſecundam formã ſpectant, qui publicis in locis pudore aliquem adficiunt, trudendo puta; de loco mouendo, pileum abiiciendo; item ii qui aliorum commoda obſtinate impediunt, licèt nullam inde vtilitatem ſentiant; adde irriſores & ſcommata iacientes: non loquor de iis qui loco & cõgrue dicterio vtũtur; ſed de iis qui non laceſſiti, ſed deſtinate rodendo alterum, riſum

Quintil. lib. 6. cap. 4.

adſtantium captant: & *qui ſæpe amicum quam dictum perdere malunt*, quum multo tutius ſit etiam ſalſe dictum perdere, quam auctoritatem minuere. Semper diligenter conſiderandum, & quis, & qua cauſſa, & apud quem, & in quem, & quid dicatur. Vitandum itaque ne petulans, ne ſuperbum, ne loco, ne tempore alienum, ne præparatum, ne domo allatum videatur quod dicimus: Aduerſus

Caſtill. lib. 2.

miſeros inhumanus iocus eſt. Male etiam dicitur quod in plures conuenit: ſi aut nationes totę inceſſantur, aut ordines, aut cõditio, aut ſtudia multorũ. Huc pertinet vaniſſimum genus hominũ, qui vt Vniuerſales (ita enim hodie ab Italis vo-

vocantur ii, qui de qualibet re propositâ cũ iudicio differere valent) videant, impudenter se doctorum colloquiis immiscent, ea interrũpunt, &; quicquid proponatur, contradicere, & quod semel dixerunt, mordicus; licèt sine ratione, defendere non verentur. Ad postremum membrũ vocãtur, qui iniuriosis delectãtur verbis, nulla sæpe de caussa. Sed & ii qui alios debito honoris titulo fraudant, cõtumelia adficere iudicantur. Ab his igitur omnibus diligẽter sibi caueat Aulicus perquamnecesse est; nisi omnium in se odium concitare volet. Exemplis in re tam aperta non est opus: quin potius erga omnes largissimus eorum præcipue officiorũ sit, quæ ipsi nihil aut parum adferũt impendii. Alterũ non minus Aulico necessarium est, vt *adulatores*, quorum plurimos aula gignit;

Agmen adulantũ media procedit ab aula, Ouid.

fugiat. Hi .n. se tũ aliis, tũ hac etiã de caussa insinuãt, vt secreta explorẽt, conatusq; tuos data occasione impediant; istos ab amicis discernere, difficile admodum est: nam quemadmodum Quintilianus ait, *præcipuum artis esse, ipsam artem celare:*

idem illi obseruant, tumque maxime adulantur, cum minus id facere videntur. nam & reprehendere & vituperare audent. Cum aliquando Alexander morioni cuidam ingentia munera largiretur, exclamare cœpit Agis adulator, *O rem perabsurdam!* hac voce excitatus Rex, *Quid ais?* inquit. at ille, *Fateor mihi displicere, quod omnes Ioue prognatos adsentatoribus delectari videam.* Sed non mirum. nã & Iupiter Vulcanum pro morione habebat: & Hercules Cercopibus delectari consueuit: Bacchus, Silenis. Eodem artificio vtebantur Antonii adulatores. inhumanum enim & superbum appellabant, quod Cleopatram amare nollet: *Mulier,* inquiebant, *tanto regno, totq; amœnis & splendidis locis relictis, misera, castra tua pellicis specie sequitur:*

Plutarch.

Idem.

Ast immota tibi duro sub pectore mens est.

Ille, qui non inuitus coarguebatur vt in istam iniquior, imprudens hoc laqueo captus, imperio tandem & vita priuatus est. Non omnem escam amant pisces, sed alius alia delectatur; vnde piscatores, gnari quam quisque magis appetat, ea potis-

potiſſimum obiecta fallunt. ita adulatores, deprehẽſo hominis ingenio, quibus rebus deliniatur, a quibus abhorreat, quod illi gratiſſimum intellexerint, eo potiſſimum captãt illum. Nihilominus, ſi Aulicus ſemetipſum vndique circumſpiciat, & iuxta Apollinis vel ſapiẽtiæ potius oraculum ſe recte noſſe diſcat, inq; veros amicos inquirat, facile adulatorũ artificium deteget. Vt medicus operam dat, quo ſanitatem tueatur & augeat: ita amicus. aliter adulator; qui laceroſas tãtum partes titillat. Qui igitur ingenium tuum ſubinde laudant, virtutem efferunt, vrbanitatem extollunt, humiles ac demiſſi videntur honorum exhibitione, ſalutationibus prodigi ſunt, ne dubita eos ſuſpectos habere; ſed & eos qui vitia tua proximis virtutibus tegunt:

Fallit enim vitium ſpecie virtutis & vmbra:

qui ignauum & timidum, cautum; temerarium, fortem; crudelem, ſeuerum; negligentem, clementem; prodigum, magnificum vocant, & in os laudant: neque tamen ſemper, vt neque omnia apud omnes, vituperant. Adde eos qui

nihil, licèt turpiſſima petas, denegare audẽt. in hos ſi diligenter animaduertas, facile fucatos a veris amicis ſeparabis. Recte Lęlius apud Ciceronem: *Vt monere & moneri propriũ eſt veræ amicitiæ, & alterum libere facere, non aſpere; alterum patienter accipere, non repugnanter: ſic habendũ, nullam in amicitiis peſtem eſſe capitaliorem, quam adulationẽ, blanditias, adſentationem.* Sit igitur in amico deligendo cautus, ita tamẽ, vt & ceteros amore & honore proſequatur: quod facile fiet, ſi humanus, liberalis, adfabilis, ſuauis & iucundus cum iſtis erit: erga illos etiam vere gratus & officioſus. Atque hæc de his hactenus.

Diximus quibus diſciplinis inſtructũ aliquem eſſe, antequam aulæ ſe dedat: quo pacto aulicũ ſe iam factũ erga Principem, quo item erga æquales gerere oporteat: ſupereſt vt quibus ipſe *virtutibus* pollere debeat, diſpiciamus: his enim nihil eſt quod magis homines ad diligendum alliciat. quippe quum *propter virtutem & probitatem* (vt recte Tullius) *eos etiam quos numquam vidimus, quodammodo diligamus*. Et alibi: *Cõciliantur animi homi-*

num dignitate, rebus geſtis, æſtimatione vitæ; abalienanturque ab iis in quibus hæc non ſunt. Quis enim eſt qui deſidem & ignauum non deſpiciat? quis libidinem, auaritiam, perfidiam, crudelitatem non oderit? Nemo tam malus eſt, qui ſi vtrumuis licuiſſet, non multis partibus maluiſſet ad ea quæ ſcelere conſecutus eſt, ſine ſcelere perueniſſe. eos enim ipſos qui ſe vitiis dediderunt, tam grauiter offendit ſuſcepti flagitii turpitudo, vt ſibi ipſis odio ſint.

Iuuenalis.

Exemplo quodcumque malo committitur, ipſi
Diſplicet auctori: prima eſt hæc vltio.

Et quamuis omnes virtutes nos ad ſe alliciant, faciantque vt eos diligamus in quibus ea ineſſe videntur: aliæ tamen alios magis decent. Magnificentia (exempli gratia) Principi conuenit: plebeio non item. Primo autem quia Aulici variis caſibus ſæpe agitantur, Palatinum noſtrum *forti animo* eſſe velim, vt ſi res poſtulet, animo intrepido ſe periculis pro Principe, pro patria, vel pro ſe ipſo offerre poſſit.

Seneca. *Numquam Stygias fertur ad vndas*
Inclyta virtus: viuite fortes.

Notum est illud eiusdem Senecæ,

Idem in Herc. fur. *Quemcumque fortem videris, miserum*
neges.

Vt enim palmæ arboris ramus imposito onere, non deflectitur in terram, sed enititur, & vltro aduersus sarcinæ pondus erigit sese: ita *viri fortis animus, quo plus* Plinius. *negotiis premitur, quoque magis sæuit fortu-* Seneca. *na, hoc est erectior*: vt eleganter Plinius, & Seneca: *Fortitudo*, inquit, *contemtrix timendorum est, terribilia & sub iugum libertatem nostram mittentia despicit, prouocat, frangit.* Non igitur extimescat Aulicus noster, quidquid ei contingat, sed iudicium firmum seruet, casus aduersos sapienter ferat, nihil vmquam timido fractoque animo faciat,

Tunc maxime audendum, aspera cum res
premunt.

Sic denique institutus sit, vt si omnia sibi pericula intendi, omnia bello ardere, incendio conflagrare, ac pene consumi videat, ipse optima spe plen⁹ constantiã retineat; ita tamen vt *modestiæ* non obliuiscatur:

Nulla

Nulla aſpis æque atque ambitio animum necat.

Solet vt plurimum ex ſuorum bonorum cum aliis collatiône ſuperbia naſci: quã non ſine cauſſa morbum ſacrum ab Heraclito vocari ſolitã legimus, quod præſtantiſſimus quiſq; ea peſte implicetur. ab hac nobis, ſi omnium odium euitare cupimus, diligenter cauendum: *Sequitur ſuperbos, vltor a tergo Deus*. præcipue vero a iactantia. deforme eſt de ſe ipſo prædicare falſa; præſertim & cum audientium irriſione imitari militem glorioſum:

Contemta tempore ſæpe creſcit gloria.

Porro quia imitatrix boni voluptas, malorum eſt mater omnium; cuius blanditiis quæ natura bona ſunt, corrumpuntur: (vnde non minus vere quam eleganter Tullius: *Qui voluptatibus ducuntur, & ſe vitiorum illecebris, & cupiditatum lenociniis dediderunt, miſſos faciant honores, nec attingant Rempublicam, patiantur viros fortes labore, ſe otio ſuo frui*) omnino Aulicum *temperantem* eſſe oportet. *Temperantia*, (inquit Seneca) *voluptatibus imperat: alias odit atque abigit, alias diſpenſat & ad ſanum modum redigit, nec vmquam ad illas*

propter ipsas venit. scit optimum esse modum Plutarch. *cupitorũ, nõ quantum velis, sed quantum debeas sumere.* Xenophanes *nihil in homine mali nasci posse dixit, qui temperantiam amplexus fuerit.* neque enim temperatum blandissimę voluptates vmquam decipiunt: hic a rebus alienis manus, oculos, mentem continet: hic nullis vitiorum illecebris irretitur: hic parce, continẽter, seuere, sobrie vitam agit, neque vlla luxuria diffluit. adde quod hęc virtus bonę quoque valetudinis mater; vt contra, intemperãtia morbos gignit; sed & omnium in se odium concitat. *Duæ res sunt* (ait Cornificius ad Herennium) *quæ maxime homines ad maleficium impellunt, luxuries & auaritia. Lethale mulsum scorta sunt; fuge si sapis.* Nullum est vitium tetrius quam auaritia, præsertim in Rempubl. gubernantibus. *Habere enim quæstui Remp.* (vt alicubi Cicero) *non modo turpe est, sed sceleratum & nefarium. Ne suscipito autem munus* (ait Omnipotens) *quia munus excæcat oculos sapientum, & verba iustorum mutat.* Liuius libr. 22. Eleganter Liuius, *Priuata res semper offecêre, officientque publicis consiliis.* Exemplis plenę historię sunt. Perquã turpe est

est (inquam) homini in aliqua dignitate constituto, delicate, libidinose, incontinenter viuere. Caius Gracchus cum ex Sardinia rediit, orationem ad populum in concione habuit. inter alia & hæc eius verba fuerunt: *Ita versatus sum in prouincia, vt nemo poßit verè dicere assem aut eo plus in muneribus me accepisse: aut mea opera quemquam sumptum fecisse. biennium fui in prouincia: si vlla meretrix domũ meam introiuit, omniũ nationum postremißimũ nequißimũq; existimatote,*&c.

Viuendũ recte cũ propter plurima, tunc his Iuuenal.
Præcipue causis, vt linguas mancipiorum
Contemnas.

De nimia vini ingurgitatione, Senecæ prudentissimi viri verba hęc addo,&finẽ facio: *Omne vitiũ ebrietas & includit & detegit: obstantem malis conatibus verecundiam remouet: vbi poßedit animum nimia vis vini, quicquid malè latebat, emergit. Non facit ebrietas vitia, sed protrahit: tum libidinosus nè cubiculum quidem exspectat, sed cupiditatibus quantum petierint permittit: tunc impudicus morbum profitetur ac publicat: tunc petulans non linguam, non manum continet. Crescit inso-*

lenti superbia; crudelitas sæuo; malignitas liuido. adiice istam ignorationem sui, dubia & parum explanata verba, incertos oculos, gradum errantem, vertiginem capitis, tecta ipsa mobilia, velut aliquo turbine circumagẽte totam domum, stomachi tormenta cum efferuescit merum, ac viscera ipsa distendit, tunc tamen vtcumque tolerabile est, dum illi vis sua est: quid cum somno vitiatur, & quæ ebrietas fuit, cruditas facta est? Sed & cogita quas clades ediderit ebrietas. Hæc acerrimas gentes bellicosissimasq; hostibus tradidit: hæc, multorũ annorum pertinaci bello defensa, inania patefecit: hæc contumacissimos & iugum recusantes in alienum egit arbitrium: hæc inuictas acies domuit. Alexandrũ tot itinera, tot prœlia, tot hiemes, per quas victa temporum locorumq; difficultate transierat; tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria, tutum admiserunt; intemperantia bibendi perdidit. Dic ergo quare sapiens non debeat ebrius fieri? &c.

Sapientem facit insipientem temulentia.

Hæc habui, Nobilissime FRIDERICE, quæ in præsentia de *Aulico* dissererem: & vereor sane, ne vlterius quam par est, in scribendo prouectus sim. Sed quic-

quicquid id eſt, quod gratificandi deſiderio factum, & in lucem emiſſum, boni conſule; & maiora, cum inſeruiendi tibi maior aliqua facultas exſiſtet, & officia & ſtudia a me exſpecta.



Breuem, Zoile, dicis hunc libellum,
O si poßit idem omnibus videri!

T. B. V.

